7
6–c
38

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 G
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7-6-c.38

Digitized by Google

L̄
298

DEFENSA ROMANI BREVIARII CORRECTIO CIRCA HISTORIAM SANCTI BRVNONIS,

ſeu

DE VERA CAVSA SECESSVS S. BRVNONIS IN EREMVM DISSERTATIO.

Auctore IOANNE DELAVNOY Conſtantienſi Theologo Pariſienſi.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Iesu

PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Architypographum Regis, & Reginæ Regentis: ET GABRIELEM CRAMOISY. viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XLVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO VIRO
IOANNI BAPTISTÆ
DE CONTES
ECCLESIÆ
ET ACADEMIÆ PARISIENSIS
CANCELLARIO.

SPOLIA *exciſæ fabulæ, quæ attinet Eccleſiam & Academiam Pariſienſem, ad te defero,* Vir Ampliſſime. *Sed cur ad te deferam, faciunt cùm alia, quæ in te ſumma ſunt, multa, tum illud quoque ſpectabile munus, quod in eadem & Eccleſia & Academia ſuſtines, & pari*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

ſagacitatis, prudentiæ, & eruditionis laude cumulas in dies. Sic ſemper ornaſti tu tua facta, & detrahet qui meliùs ornare voluerit. Dico quæ ſinguli ſentiunt, & ſcribo quæ in omnium ore verſantur. Qui tuam in deliberando ſagacitatem, in agendo prudentiam, & in dicendo eruditionem prædicant. Sed iſta deinceps tam ſublimi demiſſione temperas, vt aliud, idémque ſummum præconij genus etiam rapias ab inuito. Non ibo longiùs, quia quæ facis, referri prohibes, hoc eſt, magnificè laudari. Ergo qualis ſit hæc fabula, iam ſatis opinor vir prudens intelligis, eam eſſe, quæ ex incerto rumore prognata fertur ſanctum Brunonem in eremum pepuliſſe. Romanum Bre-

Digitized by Google

uiarium per aliquod tempus occupauit, ſed poſtea in recenſione Breuiarij ſublata eſt. Ego autem, quia falſitas rei certò deprehenſa eſt, rectè ſublatam eſſe contendo, duobus contrà grauiſsimis viris oppugnantibus, qui quam ſanctiſsimo viro ſecedendi cauſam vulgus affinxit, ab eadem Breuiarij recenſione vindicarunt. Horum primus eam, quæ è vigiliis ſancti Brunonis expuncta eſt, de rediuiuo Doctore Pariſienſi narrationem apud antiquos omnes ratam *eſſe tradit, ſed iſtud falsò tradere oſtendo, libratis antiquorum ferè omnium teſtimoniis, qui de Brunonis ſeceſſu in eremum, déque primis Cartuſienſium inſtitutis ac moribus ſer-*

monem habuerunt. Huic erroris auctor fuit quidam magni ſuo iudicio nominis ſcriptor, qui memoratam de rediuiuo Doctore narrationem pluribus impoſuit, publicámque ita comparatis teſtibus fidem violauit. Quæ omnia vti refellam, ſolùm expono, & aſſerta veritate, ſuam adductis in medium teſtibus fidem reſtituo. Alter verò ſinceriùs ſcribit, ſed non accuratiùs. Picturatas primùm quaſdam rationes obiicit, quibus ob iuniorem ætatem nullum datur auctoritatis pondus. Deinde auitam traditionem obtendit, ſed vacuum idoneis aſſertoribus traditionis nomen obtendit, cui tribuit, quod meritò tribui non poteſt, ſi ſuis auita

traditio momentis expendatur. Tum demùm ex Cæſarij Ciſtercienſis Dialogis nonnihil opponit argumenti, ſed quod ferè ceterorum, qui locum viderant, deſpectio ſingulare fecerat hactenus. Tui, an fallar, erit iudicij, rerum Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis & hiſtoriarum peritiſſime Cancellarie. Te enim, quem hac in parte aduerſarij declinare non poſſunt, arbitrum delegi. His tamen, quæ in anteceſſum præmitto, quæque guſtus operis eſſe poſſunt, tuum quod grauius Prienæo integriúſque ſentiunt qui experiuntur, iudicium occupare nolim. Ne igitur, vt in ceteris aſſoles, lineam moueto. Pro ea, qua vales ingenij ſolertia videas pre-

Digitized by Google

cor , num aſſerendæ ſuis legibus veritati conſuluerim, & eam, quæ fictis fabulis Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis nomini inurebatur, iniuriam propulſauerim. Sin autem adæquè conſecutus ſim ſcopum, tuo interim iudicio ſtabo; nec emendare, quod emendandum cenſueris, erubeſcam. Nemo, *inquit Septimius*, proficiens erubeſcit. habet & in Chriſto ſcientia ætates ſuas, per quas deuolutus eſt Apoſtolus.

Tibi deuinctiſſimus
IOANNES DELAVNOY.

DE-

Digitized by Google

DEFENSA ROMANI BREVIARII CORRECTIO CIRCA HISTORIAM SANCTI BRVNONIS, ſeu DE VERA CAVSA SECESSVS BRVNONIS IN EREMVM.

PRÆFATIO LECTORI NECESSARIA.

NONNVLLA ſunt, de quibus Lectorem admonitum eſſe velim. Imprimis hæc Romani Breuiarij correctio, quam defendendam ſuſcipio, cùm ſpectet ad Sancti Bruno-

Digitized by Google

nis hiſtoriam, quæ nullis Scripturæ au-ctoritatibus fulciatur, neque ad fidem refertur, neque ex veræ Theologiæ principiis referri poteſt. Non aliter diſſerit Auguſtinus in alicuius hiſtoriæ negotio, quod accuratè narrat & expendit lib. 1. ſermonis Domini in monte cap. 16.

Deinde non verſatur in conditione iuris, ſed facti, pendétque ex hominum teſtimoniis, quæ in medium adducam, vbi quod priùs traditum fuit, aſſeretur vt verum, quod poſteriùs immiſſum, reiicietur vt falſum. quæ extra quam certa eſt methodus Irenæi, Tertulliani, & Patrum, qui pro diuinis Apoſtolicíſque dogmatibus contra ſuccreſcentes falſarum opinionum nouitates præſcribunt.

Tum quoniam vnus ex aduerſariis audacter pronuntiat ratam eſſe *apud antiquos omnes* de prodigioſa Doctoris anaſtaſi, & inde pulſo ad ſolitudinem Brunone narrationem; hinc fiet, vt aliquot auctorum teſtimonia recenſurus ſim, quæ aliàs non recenſere ſine vllo noſtræ defenſionis incommodo potuiſſem. Recēſere tamen operæpretium

duxi, oſtenſurus tantùm abeſſe, vt quod hac in re omiſerat vnus antiquorum, ſuppleſſet alter, vt etiam quod ille apud antiquos omnes ratum eſſe dixit, id conſtet nemini ratum eſſe veterum, qui quoquo modo Brunonem & res Cartuſienſium attigerint. Etenim apud eos, qui nihil de Brunone, nihil de Cartuſienſium rebus ſcripſerunt, nihil de Brunone, nihil de Cartuſienſium negotiis ratum haberi dicive poteſt. Indulgendum igitur mihi aliquid eſt illiuſmodi περιεργίας, cuius neceſſitatem impoſuit aduerſarius.

Quartò in Antemurali, quod Auenione in vrbe Pontificia aduerſus ingenia fortia præſtruxit, Romanos cenſores coercuit, eóſque gratuito ad ingeniorum fortium inſigne hoſpitio donauit. Huius verò gratificationis cauſa hæc eſt, quòd ante paucos annos Romanum Breuiarium correxerant, & quicquid de prodigioſa Doctoris anaſtaſi, & inde pulſo ad ſolitudinem Brunone referebatur, è Lectionibus vigiliarum Sancti Brunonis expunxerant. Nec profectò temerè, quemadmodum hæc Diſſertatio palam faciet. Sed in hoc An-

temurali vnum eſt, quod viri boni, graues & docti ægerrimè ferunt, auctorem quippe non virtutis & modeſtiæ, quæ in aſſerenda veritate Chriſtianum hominem, adeóque Religioſum decet, ſed procacitatis & petulantiæ, quæ Scythis conuenit, inſtituiſſe certamen, tum contra ſuos, tum etiam contra alios, à quibus ne verbo quidem laceſſitus vnquam fuerat.

Quintò ad hunc auctorem adiungam domnum Polycarpum de la Riuiere, cui plurimam fidem habuit, & ab hac illuſtri Religioſorum ſynoride in hiſtoriæ leges quid peccatum ſit, oſtendam, & productos in medium teſtes excernam ſuppoſititios. His duobus qui nuper ea de re ſcripſit epiſtolam, tertius accedet longè modeſtior, cuius argumenta colorata & picturata diluentur, ſed quod grauius erit, ſua ipſius in ſcribendo ratione ac methodo inuoluetur, omniúmque diſputandi legum periculis illaqueabitur.

Sextò, quam vt aduerſarios cominus aggrediar & commodiùs, ſcribendi rationem ſequar, ea in cauſa erit, cur de Cartuſienſium inſtitutis & pro-

Digitized by Google

greſſione referentur multa, quæ & ſcitu digniſſima ſunt, & ab recentioribus hiſtoricis tradi deſierunt, ſiue quia quędam paulò aliter ſeſe nunc habeant, ſiue quia non omnia commemorare licuerit. Vt vt ſit, ex iis, quæ cap. 1. referentur, planè conſtabit, Mauriniacenſe Chronicum olim haud vanis rationibus nixum fuiſſe, cùm *excellentiſſimos Eremitas, angelicam degentes vitam, ſupereminentiſſimæ religionis, & incomparabilis auctoritatis viros* Cartuſienſes appellauit. Sed de huius Ordinis laudibus nihil addi poteſt iis, quæ in epiſtola nuncupatoria epiſtolarum Petri Cellenſis Sirmondus, mundiſſimo & caſtiſſimo orationis genere explicauit.

Septimò, quæ in expanſione capitum animaduertere commodè non potero, ea in concluſionem capitum transferam, vbi quædam veluti corollaria decerpam ex iis, quæ hinc & inde differentur. Sic enim quæ confuſa rerum multitudine generari ſolet obſcuritas, vitabitur, & neceſſarium propoſitis cùm ad refellendum, tum ad aſſerendum pleriſque lumen adferetur.

Vltimò pergratum mihi eſt id ſuſ-

Digitized by Google

cipere laboris, quo probroſa Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſi fabula exſcinderetur. Id certè debeo optimæ parenti Academiæ, in qua per ſummum eius beneficium Theologiæ doctor renunciatus ſum. Id debeo Eccleſiæ quæ decem abhinc annos meam aliquam Theſim ſibi dicatam benigniſſimè excepit. Id debeo & mihi, qui ab auctore Epiſtolæ Didaſcalicæ de cauſa conuerſionis Sancti Brunonis prouocatus videor. Sic enim ſe res habet. In epiſtola nuncupatoria Theſis, cuius ille meminit, hoc figmentum curſim confixeram; vnde occaſionem cepit fingendi motam publicitùs ea de re diſputationem, in qua nunc quibuſdam reſponſa mea facilè perſuaſerim, nunc ab aliis aſſenſum extorſerim; propoſita cum primis Brunonis ad Radulphum epiſtola, quæ vel omnes alliceret, vel certè pertraheret. Sed diſputationem, quæ, me opinor, idoneo teſte, inſtituta nulla fuit, quorſum comminiſci? me in ea pugna, quæ pugnata non eſt, victorem quorſum fingere, niſi forſan vt illuſtrioris victoriæ viam ſibi pararet? Gratiam quidem habeo, quòd me laudare voluerit, ſed

non habeo, quòd me ſine cauſa & ſpretis hiſtoriæ legibus laudauerit.

Ceterùm ſi quod falſum eſſe in hiſtoria Brunonis contendam, id verum eſſe optimis ad illud aſſerendum regulis probent aduerſarij, libenter amplectar, gratéſque eam ob rem referam ampliſſimas. Qui enim aliquid ſcribit, id ſibi commendatum credere debet, quod Nilus Chriſtodulo, Ioanni ſcilicet Cantacuzeno, ſic vnicè commendauit: ὡς δὲ μηδὲν τῆς ἀληθείας διὰ βίου πρότερον ἡγησάμενος, τἀληθὲς ἐρεῖς.

CAPVT PRIMVM.

Exponitur ſcriptionis occaſio. Referuntur teſtimonia plurium auctorum, qui ab anno 1086. ad annum 1320. ſancti Brunonis, vel Cartuſienſium inſtitutionis quoquo modo meminerunt. Vera cauſa ſeceſſus Brunonis ab omni falſitate immunis vindicatur. Nouitiis quibuſdam fabulis generale opponitur ſilentium. Vnius aut alterius Scriptoris effugia præcluduntur.

FVIT qui duobus abhinc annis iniquo animo tulit eam Romani Breuiarij correctionem, quæ ad beati Brunonis Cartuſianorum Inſtitutoris hiſtoriam ſpectat. Is eſt Theophilus Raynaudus in ſuo *aduerſus ingenia fortia Antemurali*, quo ſuum quoque Benedictum Auenionenſis pontis ædificatorem præmuniuit: *Sanctum Brunonem*, inquit, *ea ex cauſa elongaſſe fugientem & manſiſſe in ſolitudine, quòd Doctor Pariſienſis à mortuis ad tempus regreſſus accuſatum ſe & iudicatum atque damnatum profeſſus eſſet in ipſo feretro, fabulamentis ac-*

cenſent fortia ingenia, tantùm quia placet. Nam quamuis olim Canonici Pariſienſes eum Doctorem in cœtum ſuum intrudi expoſtulauerint, & iure expoſtularunt, cùm falsò in eorum album ſit relatus, qui Doctor duntaxat Pariſienſis fuerat, tamen reliqua de eo narratio apud antiquos omnes rata fuit. Sed Ioannes Baptiſta Gueſnæus, cuius ingenium hoc in Antemurali, edendúmque librum Raynaudus ſodalis vehementer prædicat, contra eundem Raynaudum ſtat à partibus Romanorum, qui Breuiarium correxerunt: ſic enim ſcribit in Diſquiſitione de Magdalena Maſſilienſi c. 15. num. 8. *Etſi Eccleſiæ placita, quoad vſus Breuiarij de geſtis Sanctorum clara illa quidem & certa ſint, tamen ab adiunctis interdum & conſequentibus difficultatibus videri poſſunt obtenebreſcere nonnihil. Si quando igitur illucere mundo incipiat noua aliqua veritas, & detegatur ſententia, quam amplexari omnes abiecta vetere firmis & valentibus rationibus aſtringerentur, non aduerſantur Pontifices in ea diſcuſſione Criticorum laborem, neque detrectant reſtituere ac corrigere deprauata. Quod mecum recognoſcet quiſquis ad ea, quæ non ante exactum ſæculum de vita Brunonis & aliorum vitioſa & corrupta ſemel, iterúmque puris & incorruptis lectionibus emendarunt, aduertet animum.* Deinde num. 9. *Demus licere illam officioſam Criticorum explorandi curam, ſed in rebus dubiis dumtaxat, & inexploratis hactenus, aut minus accuratè perpenſis, vt in exemplo, quod profers de Lectionibus ſan-*

cti Brunonis. Hæc Gueſnæus, cuius *hæc prima parturigo*, inquit Raynaudus, *fœtura multiplici deinceps ex ingeniſ vtero fundendæ viam aperiet*. Hæc inquam Gueſnæus in eo libro, quem Raynaudus antè commendauit, quàm ederetur. ſed vbi liber editus eſt, de propoſitæ Diſquiſitionis argumento, præter illud iam iam memoratum, nihil prorſus inuentum eſt, quod commendatione dignum iudicetur: niſi forſan aliquãdo veniatur eò ſtultitiæ, vt famoſi laudentur libelli, quales ab hoc homine & ſuo & Petri Henry moralis ſuæ Theologiæ cãdidati nomine Lugduni prodierunt; collectis ea, quam nouit arte pecuniis, quibus & prioris libri non diuenditi damna ſarcirentur, & poſterioris editio ſuſtentaretur. Quem cùm amicis diſtribuit, à ſe quidem compoſitum, ſed adhibito mimi cuiuſdam ſipario editum *propter cauſam* gloriabatur. ſcilicet, vt ſeſe, quia noluiſſet alter, inuerecundis ad cælum vſque laudibus efferret, atque vt aduerſarium, quem rationibus) non potuit, dolis malis & horribilibus calumniis opprimeret impunè. Sed *αὐτῇ τῇ λόγχῃ τὸν βουλόμενον βάλλειν* iaciens non aduerſarium, ſed & ſeipſum & ſuam cauſam apud cordatos & eruditos homines dehoneſtauit.

Hæc igitur correcti Breuiarij defenſio ex duobus maximè capitibus pendet: vnum eſt, Sanctum Brunonem ex rediuiuo Pariſienſi Doctore, qui ſeſe æternis damnatũ ſuppliciis aſſeruerit, non cepiſſe occaſionem inſtituendæ religionis ſuæ. Alterum, apud antiquos omnes auctores rata non eſſe, quæ de eo Doctore

narrantur. Quæ duo ſi probè demonſtrentur, tum demum conſtabit, eos rectè feciſſe, qui Romæ ſub Vrbano VIII. ex S. Brunonis Lectionibus damnati Doctoris Pariſienſis hiſtoriam expunxerũt. Sed quoniam ita coniuncta ſunt hæc duo, vt vnum ſine altero probari non poſſit, vtrumque eadem opera ſimul probabimus, atque ita vti dictum eſt in præfatione probabimus.

I. *Teſtimonium ſancti Brunonis Cartuſianorum Inſtitutoris.*

INITIVM ſumemus ab ipſo Cartuſianorum conditore, qui vbi & qua ratione à ſæculo receſſerit, perſpicuè declarat in epiſtola, quam ex Calabriæ finibus ad Radulphum Viridem Remenſis eccleſiæ Præpoſitum ſcripſit. *Quamquam* (inquit) *longo terrarum tractu, & prolixiore temporis ſpatio corpora ab inuicem ſeiuncta ſunt, animus tamen beneuolentia tua ab amico auelli non potuit.* & paulò pòſt. *In finibus autem Calabriæ cum fratribus religioſis, & aliquot benè eruditis eremum incolo ab hominum habitatione ſatis vndique remotam.* & paulò pòſt. *Quam* (contemplationem) *tu frater cariſſime vtinam vnicè diligeres, vt eius amplexibus fotus diuino caleres amore.* & paulò pòſt. *Fuge ergo frater mi, fuge has moleſtias & miſerias omnes, & transfer te à tempeſtate huius mundi in tutam & quietam portus ſtationem.* & paulò pòſt. *Quapropter operæpretium eſt diligenti examinatione prudentiam*

Digitized by Google

tuam iſta perpẽdere, quod ſi amor Dei te non inuitat, tantorum præmiorũ vtilitas te non prouocat, ſaltem neceſſitas & timor pœnarum ad hoc compellere debet. Scis namque qua ſponſione obligatus es, & quàm omnipotens ac terribilis ſit, cui temetipſum munus gratum & omnino acceptabile deuouiſti, cui nec mentiri licet nec expedit. Nec enim patitur ſe iniuſtè rideri. Reminiſcitur quippe dilectio tua, quod cùm ego & tu & Fulcius monoculus quadam die ſimul fuiſſemus in hortulo adiacenti domui Adæ, vbi tunc hoſpitabat, (fortè hoſpitabar) *de falſis oblectationibus & perituris mundi huius diuitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis aliquamdiu, vt opinor, tractaremus, vnde diuino amore feruentes promiſimus ac vouimus Spiritui ſancto in proximo fugitiua ſæculi relinquere, & æterna captare, necnon monachicum habitum recipere, quod & in vicino peractum eſſet, niſi tunc Fulcius Romam abiiſſet, ad cuius reditum peragenda diſtulimus, quo moram faciente, aliiſque interuenientibus cauſis diuinus amor elanguit, refriguit animus, feruórque euanuit. Quid ergo ſupereſt, cariſſime, niſi à tanti debiti nexibus te citiùs expedire, ne pro tam graui, támque diuturno mendacij crimine iram incurras potentiſſimi, & propter hoc cruciatus immanes? Quis namque inultum relinqueret ſe à quolibet ſibi ſubdito defraudari munere promiſſo, maximè ſi id magnæ foret ſibi æſtimationis & pretij. quapropter cede non mihi, ſed Prophetæ, immo Spiritui ſancto dicenti, vouete & reddite Domino,* &c. In his facilè obſeruamus capita illa duo,

quibus noſtra correcti Breuiarij deféſio comprobetur. Primum quidem eſt inſtituendæ Cartuſianorum religionis occaſio, quæ ſumpta eſt ex ea collatione, quæ cùm de falſis huius mundi oblectationibus, tum de veris æternæ vitæ gaudiis Brunonem inter & Radulphum habita eſt; non Lutetiæ quidem, ſed Remis in quodam hortulo, qui cuiuſdam viri cognomento Adæ domui adiacebat. Huius porro collationis argumentum fuit illud, quod Guibertus Abbas de Nouigento poſtea exponet. Alterum verò, quod ex eadem collatione conſequitur, Canonici vel Doctoris Pariſienſis à mortuis ad tempus regreſſi ſilentium, quo liquet Brunoni rata non fuiſſe, quæ eidem rata fuiſſe Raynaudus ſcripſit, niſi forſan Brunoni locum inter antiquos auctores, qui de prima Cartuſianorum origine noſſe aliquid potuerint, denegare velit. Hoc autem, quod de Brunonis epiſtola nunc obſeruamus, cùm tam certum ſit, quàm quod certiſſimum, & neceſſariò fabuloſa eſt illa Cartuſianæ originis cauſa, quam Raynaudus aſſignauit, & commentitium eſt illud, quod de Doctore Pariſienſi rediuiuo apud antiquos omnes ratum eſſe paulò confidenter aſſeruit.

Sed huius obſeruationis vim eleuare ſibi viſus eſt multæ & variæ lectionis vir ille, qui Didaſcalicam de cauſa Conuerſionis ſancti Brunonis epiſtolam ante paucos dies ſcripſit, eámque iuxta exemplar Coloniæ editum Pariſienſibus typis mandari curauit. Sic autem

diſſerit ad paginam 29.30. & 31. *Huius ex ratiocinationis affinitate ſolutio etiam ſatis peremptoria elicitur obiectionis illius, ſanè non futilis, quæ ſuprà ex epiſtola ſancti Brunonis ad Radulphum Præpoſitum Remenſem afferebatur. Potuerunt enim conuerſionis Sancti Brunonis plures eſſe cauſæ. Non primo monitu ſanctus Auguſtinus diuinæ gratiæ dudum reſpondit, ſed multoties vocatus à Domino, tandem conuerſus eſt. Modò dicebat atque modò, ſine paululum, ſed modò & modò non habebat modum, & ſine paululum ibat in longum. Idem ſibi moras nectenti eueniſſe ſanctus Bruno præcitata epiſtola, vnde grauis illa obiectio deducta eſt, manifeſtè fatetur. tametſi enim repentino irradiatus diuini luminis illapſu, cum amicis ſuis Radulpho & Fulcio vnanimiter Deo ſpopondiſſet (etiam voto emiſſo) quantociuſ ſæculi depoſitis affectibus monaſticen profiteri, in caſſum tamen abiiſſe tam pium propoſitum ac promiſſum eodem contextu ſubindicat. Quod (votum quippe) in vicino, ait, peractum eſſet, niſi hinc Fulcius Romam abiiſſet, ad cuius reditum peragenda diſtulimus. quo moram faciente, aliiſque interuenientibus cauſis diuinus amor elanguit, refriguit animus, feruórque euanuit. Opus fuit igitur Brunoni adhuc fortiori incitamento, quo vinculis amoris ſæculi repente diſruptis vocationi diuinæ reipſa tandem obſequeretur. Vix porrò efficacius vllum eſſe potuit horribili illo ſpectaculo, quo animitus concuſſus abſque vlla mora adimpleuit, quod tamdiu antè Spiritui ſancto promiſerat. Nec inſtare iuuat, debuiſſe ſaltem*

tam potentis motiui amico memoriam refricare, quem eiuſdem voti reum ſuis his litteris interpellabat. Reſponſio enim eſt in promptu, mentionem huius triſtis euentus ad rem non ſpectaſſe, cùm hac epiſtola Bruno non de ſua, quæ diu antè præceſſerat, conuerſione, ſed amici, huiuſque non Lutetiæ, ſed Remis degentis ageret, vt liquet ex verborum contextu. Inſuper ſapienter à Brunone cum hoc homine actum. Quæ ſpes enim futura erat, vt commemoratione viſi illius funeſti ad meliorem frugem non modò, ſed auſteræ adeò vitæ, quam Bruno ipſe cum ſuis ſymmiſtis inſtituerat, profeſſionem illum pertraheret, quem diu viderat ſalutis ita parum ſollicitum, vt voti ſecum emiſſi, euaſiſſe nonnihil doleret immemorem? Satius igitur duxit, eum à voti religione commonefacere promiſſi Deo facti, quàm ab euentus diu antè præteriti memoria, cuius hactenus nihil profecerat Radulphus ipſe aſpectu vel auditu. & paulò pòſt. *Cæterum innumeræ (vt ait Sanctus Chryſoſtomus) ad ſalutem nobis à Deo ſunt viæ, nec vna aliam excludit. Bruno cunctationem ſuam non diffitetur, ſed agnoſcit, ſe etiam poſt votum conuerſionis ſenſiſſe obices, nexuiſſe moras, friguiſſe animo, feruorémque ſuum euanuiſſe.* At iſta quamquam bene multa ſi componantur cum iis omnibus, quæ ex epiſtola Brunonis ad Radulphum retulimus, ſtare neutiquam poſſunt. Et certè aliud eſt, plures eſſe potuiſſe conuerſionis ſancti Brunonis cauſas, aliud reipſa fuiſſe plures, & è pluribus hanc & non illam, quæ tamen eſſe potuerit. Primum autem non

quærimus, nec ab homine ſapienti quæri neceſſe eſt, cùm quin plures eſſe conuerſionis ſancti Brunonis cauſæ potuerint, qui dubitet, hactenus inuentus ſit nemo. Secundum igitur quærendum eſt, & ea quærendum ratione, quæ quod fieri potuit in cõuerſione S. Brunonis, ab eo quod reipſa factum eſt, liquidò ſecernat. hæc autem ratio cùm in conditione facti tantùm verſetur, ex iis petenda eſt ſcriptoribus, qui veram conuerſionis S. Brunonis cauſam certò nouerint, aut certò noſſe potuerint. Huiuſmodi verò ſcriptores alij non ſunt præter Brunonem ipſum, æquales Brunonis, vel ſuppares, cùm qui poſtea ſine horum commentariis & traditione de vera conuerſionis S. Brunonis cauſa, ſeu potiùs de vero Brunonis in eremum ſeceſſu loquuntur, vel priuatis quibuſdam, adeóque inanibus auguriis indulgent, vel fictis à mendaci poſteritate fabulis aures calamúmque accommodant.

Deinde licèt vna ad ſalutem via non excludat aliam, haud continuò tamen ſequitur Deum hac vna, quæ ab altera non excluditur, vſum eſſe, vt Brunonem ad iacienda Ordinis ſui fundamenta pertraheret: alioquin innumerabiles hominibus cùm eſſe poſſint ad ſalutem viæ, quæ ſeſe mutuò non excludant, Brunonem innumerabiles ad Cartuſiam viæ reipſa perduxiſſent. Qui ſanè ſic diſſerit, optimas diſſerendi leges negligere videtur. ex hac enim methodo diſſerendi fieret, vt etiamnum cuique liceret, alias, quas quis aptè fingeret, ad ſalutem vias addere iis, quæ in Epiſtola

Dida-

Didaſcalica defenduntur. Atque hoc additamenti genus ſi ægrè ferret auctor Epiſtolæ, tunc ei communes loci, quibus identidem vtitur, non immeritò redderentur.

Sunt autem hi loci communes, pagina 26. editionis Pariſienſis. *Nec obſtat, quòd geſtæ rei, quam memorant Antoninus, Volaterranus & Nauclerus non ſint contemporanei. Nam ſi hac rigiditate* (meliùs rigore) *cum ceteris ageretur hiſtoricis, maxima pars eorum, quæ ab iis traduntur, peſſum iret.* Sic in examinandis hiſtoricis auctor proponit incômodum, quod vti vitetur, examinandi non ſunt hiſtorici, maximè verò recentiores, qui de rebus, quas non viderint, ſcripſerunt. ſed planè recipiendum eſt quicquid ab iis dictum repetitur. qua ſpe qui ſuſtentabitur, nullas non admittet conuerſionis ſancti Brunonis cauſas, ſi modò ſibi inuicem non pugnent.

Secundò, pagina 28. *Nec enim Antonino, Volaterrano & Nauclero Guibertus Abbas de Nouigento opponendus venit, qui tametſi cum horum aliquo certare poſſit de auctoritate, antiquitate verò præualeat, non tamen huius & ceterorum dictis aduerſatur; nec enim negat, quod illi aſſerunt, ſed de hoc dumtaxat ſilet, quod recitant.* Sic quicumque hactenus de horribili ſpectaculo, quod Brunonem in eremum impuliſſe vult auctor Epiſtolæ Didaſcalicæ, ſcripſerunt, non negarunt id, quod pro conuerſione Brunonis nunc excogitaretur, vel ſi quod conuerſionis argumentum in quibuſdam aliis Sanctis accidit, ad

Digitized by Google

Brunonem traduceretur.

Tertiò, pag. 32. *Ceterùm innumeræ, vt ait ſanctus Chryſoſtomus, ad ſalutem nobis à Deo ſunt viæ, nec vna aliam excludit.* qui nunc aliam ab illo horribili ſpectaculo cauſam fingeret, eam vſque adeò appoſitè fingere poſſet, vt ab illo horribili ſpectaculo non excluderetur.

Quartò, pag. 34. *Perſpexit fortè Guibertus in deſcriptis iam ab aliis obſeruatoribus, geſtis S. Brunonis hanc narrationem de damnati ferali voce longè lateque poſitam; eſſéque omnibus notam, ideóque, vt rurſus à ſe literis mandaretur, non iudicaſſe fore operæpretium. aliam igitur ſuppleuiſſe cauſam, quam ceteri prætermiſerant, vt minùs compertam, vnde tamen primos inditos animo Brunonis ſeuerioris inſtituendæ vitæ aculeos peculiari notitia cognouerat. Sic igitur vtriuſque ſcriptionis ſeries benè & appoſitè cohæret, nulláque iam contrarietas intercedit, qua quod vna continet alterius queat oppoſitione refringi, at quadrant viciſſim ad amuſſim omnia. Quamobrem vt manet Guiberti Integra auctoritas, ſic eſt Antonino, Nauclero, Volaterrano & ceteris, qui fuſiorem actorum Sancti Brunonis collectionem ſecuti ſunt, ſalua fides.* Hæc omnia planè, ſi auctorum nomina mutentur, de nouo, quod diximus, conuerſionis ſancti Brunonis auctario pari grauitate differentur.

Quintò, Siquis contenderet iſtud conuerſionis ſancti Brunonis auctarium è volatica tantùm vulgi fama, vel aliunde hauſtum eſſe,

Digitized by Google

pagina 36. hæc *facilis reſponſio* daretur: *primùm ſiquidem publica ac communis rei alicuius fama, tametſi nullo alio fundamento niteretur, quàm publico teſtimonio, non ita tenuis eſt momenti, vt ſperni debeat, habet ipſa ex conſenſus communis hominum auctoritate nonnihil certè ponderis non modò iuxta illud Tullij, Rumoris publici auctoritas inſtar oraculi eſt, ſed etiam ſecundùm Eccleſiaſtici iuris ſanctiones: Fama enim plus facit, quàm dictum vnius, vel iuramentum. gloſſ. fin. in cap. 2. de conſang. & gloſſ. Teſtes. §. ſæpe. q. q. 2. adeò vt qui per famam ſolam intellexit ſe eſſe excommunicatum, vel interdictum, quàm Eccleſiaſtica Sacramenta pertractare; gloſſ. publicè in cap. 1. de poſt præl. Fama enim inducit iuſtam credulitatem, vnde iuncta aliis præſumptionibus & adminiculis ſufficit ad probandum matrimonium. & certum eſt illud in eodem iure theorema, famam in antiquis, quorum memoria non habetur, probare, ſi alia adminicula adſint, gloſſ. 2. in cap. Cùm cauſam de elect. qualia hîc ſuffragantur, quæ paulò ante medium huius Diſſertationis expreſſimus. Quamuis igitur hac ſola ſuffulti præfati auctores, quæ literis produnt, enarraſſent, non poſſent temeritatis, immo nec oſcitantiæ, aut nimiæ credulitatis propterea poſtulari. Fama enim eiuſmodi ad probationem ſufficit. gloſſ. publicè in cap. 1. de poſt. præl.* Hæc, quæ de famæ viribus non ad Criticorum quidem, ſed ad fori tribunal ſapientiſſimè traduntur, magnoperè iuuarent conſilium illius, qui deditâ operâ nouam ali-

quam conuerſionis ſancti Brunonis cauſam euulgaret. atque iſta ſufficiunt de communibus illis locis, quibus, vt volueris, ſi modò appoſitè volueris, cauſas conuerſionis ſancti Brunonis amplificatum ibis: & quod amplificaueris, tam facilè, vt apparet, defendes, quàm relatum ab Antonino, Volaterrano & Nauclero, qui longo poſt Brunonem tempore vixerunt, horribile ſpectaculum in Epiſtola Didaſcalica defenditur.

Præterea ſi plures conuerſionis beati Auguſtini cauſæ fuerint, ideò plures fuiſſe credimus, quia & plures fuiſſe, & quæ ex illis pluribus ſpeciatim fuerint, narrat Auguſtinus. At plures fuiſſe conuerſionis ſancti Brunonis cauſas, è quibus horribile fuerit ſpectaculum illud, quod auctor Epiſtolæ Didaſcalicæ venditat, nec ediſſerit ipſe Bruno in epiſtola ſua, nec vlli Brunonis æquales, vel ſuppares, qui Cartuſianæ originis meminerint. quare vanum eſt, ac rationis expers, quicquid hac in re ſimilitudinis Auguſtinum inter & Brunonem comparatur. Neque profectò, vt ſibi perſuadet auctor Didaſcalicus, de ſua Bruno loquitur, ſed de Radulphi procraſtinatione, quæ diuinæ vocationis feruorem remiſerat, & eum ab implendo voto retardarat. Quo enim tempore hanc ad Radulphum epiſtolam miſit, Gratianopolitanum monaſterium iam inſtituerat, & aliud in finibus Calabriæ, quò Roma conceſſerat, inſtituere meditabatur. Vnde Fulcij tardus è Curia reditus, & ceteræ interuenientes cauſæ Brunonem non attinent,

ſed Radulphum, cui hac in epiſtola ſemper improperat implendi voti ſegnitiem, diuini amoris languorem, & fermè extinctum animi feruorem. Hoc autem cùm ita ſit, non ſanè Bruno, qui emiſſum cum Radulpho votum pridem exoluerat, ſed Radulphus indiguit acrioribus ſtimulis, quibus ad ſui quoque voti exolutionem concitaretur. Vnde fit, vt Bruno hac in epiſtola ſicut votum reddenti gloriam, ita non reddenti æternam pœnam Radulpho proponat. vbi certè locus fuit illi ſpectaculo horribili, ſi quod Pariſiis actum Brunonem ad implendum votum anteà impuliſſet. Quid enim erat ad configendam Radulphi cunctationem paratius, quàm ei & opportunè & importunè inculcare id ſpectaculi genus, quo ipſa Brunonis cunctatio, ſi Epiſtolæ Didaſcalicæ credimus, deuicta eſt? Neque hoc telum, quo ſe impetitum iri præuidit Auctor Didaſcalicus, ſatis idoneè declinat, immo tranſadigendum pectus obiicit, vbi religionem voti, quo Bruno & Radulphus tenebantur, cum illo horribili ſpectaculo, quod Brunonem in eremum egiſſe docet, componens, horribile ſpectaculum pro *fortiori incitamento* ducit. Hoc autem fortiori incitamento ſi opus fuit Brunoni, cur non quæſo Radulpho, qui exolutionem voti ſic diſtulit, vt nunquam, quod ſciam impleuerit? At ſapientem virum in epiſtola, vbi machinas omnes adhibet ad mouendum Radulphum, prætériiſſe, vel non ſæpiùs exaggeraſſe quæſitum ſupplicium è ſpectaculo, quod in promptu poſitum erat,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſi tamen vnquam poſitum fuit, id verò iuſtam in Brunone, vt opinor, admirationem haberet. Cùm igitur inter momenta rationum, quibus Bruno Radulphum permouet ad reddendum votum, omiſit horribile ſpectaculum, quo Scriptor Didaſcalicus ſe à puero imbutum profitetur, id omiſit, quod dicere non potuit. Dicere autem non potuit, quod ſibi non accidit, quódque longo poſt ſe tempore inuectum nonnulli Cartuſianorum originem fecerunt: vt hac Diſſertatione chronica demonſtrabimus.

II. *Teſtimonium Guigonis quinti Cartuſiæ Prioris.*

GVIGO quintus Cartuſiæ Prior initium religionis ſuæ ſic exequitur in vita Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi, vt eorum, quæ Raynaudus aſſerit, omnium mentionem nullam faciat: *In his*, inquit, *agebat & ecce tribus necdum in epiſcopatu poſt monaſterij reditum completis annis adeſt magiſter Bruno vir religione ſcientiáque famoſus, honeſtatis & grauitatis ac totius maturitatis quaſi quoddam ſimulacrum. Habebat autem ſocios magiſtrum Lauduinum, qui poſt eum Cartuſiæ Prior extitit, duos Stephanos Burgenſem & Dienſem. Hi ſancti Rufi canonici fuerant, ſed deſiderio vitæ ſolitariæ ei Abbate fauente ſeſe coniunxerant. Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, ex eo quod ſolus ex eis ſacerdotis fungeretur officio, duos laicos, quos appellamus*

Digitized by Google

Conuerſos, Andream & Guarinum. quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum, necdum repererant. Hac ergo ſpe, & ſuaui ſanctæ conuerſationis eius odore trahente ad virum ſanctum venerunt, quos ille non ſolùm gratanter, ſed & reuerenter ſuſcepit, tractauit, & voti compotes fecit. Ipſo namque conſulente, iuuante, comitante, Cartuſiæ ſolitudinem intrauerunt, atque extruxerunt. Viderat autem circa id tempus per ſomnium in eadem ſolitudine, Deum ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem, ſtellas etiam ſeptem, ducatum illi præſtantes itineris. erant verò & hi ſeptem. Hic auctor Cartuſianæ religionis incunabula deſcribit, & minuta quæque diligentiſſimè perſequitur, nec verbo tamen attingit illa duo, quæ apud *antiquos omnes* rata eſſe aduerſarius tradit. Quo nullum maius eſt argumentum falſitatis, quam ille antiquis omnibus affingit, vel veritatis, quam nos defendimus.

III. *Teſtimonium Guiberti Abbatis de Nouigento prope Couciacum in Diœceſi Laudunenſi.*

GVIBERTVS Abbas de Nouigento tractatum de vita ſua compoſuit, in quo preſſiùs adhuc Cartuſianorum originem & inſtitutum exponit, & omnem quorumdam recentiorum fabulis aditum intercludit. Sic autem loquitur: *At quia conueniebat, vt literatorum quiſpiam ſacri gregem ordinis ſub eodem affectum poſt ſe contraheret; fuit non*

longè ab his diebus Bruno quidam in vrbe Remenſi, vir & liberalibus inſtructus artibus, & magnorum ſtudiorum rector, qui conuerſionis initia ex ſubiecta nactus occaſione dinoſcitur. Manaſſes quidam poſt Geruaſij famoſiſſimi Archiepiſcopi deceſſum prædictæ vrbis regimini ſimoniacè ſe intruſit, vir quidem nobilis, ſed nihil prorſus ſerenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens. Tantos enim faſtus ex illa nouitate conceperat, vt regias peregrinarum gentium maieſtates, immo maieſtatum ferocitates imitari videretur. & poſt alia: *Is igitur cùm milites affectaret ſummopere, & Clerum negligeret, dixiſſe aliquando refertur, bonus eſſet Remenſis Archiepiſcopatus, ſi non miſſas inde cantari oporteret. Huius ergo mores prorſus improbos & ſtupidiſſimos habitus, cùm omnis honeſtus horreret, Bruno tunc in Eccleſiis Galliæ opinatiſſimus cum aliis quibuſdam Remenſium Clericorum nobilibus infamis illius odio exceſſit ab vrbe: quem poſtmodum proceres, Clerus atque Burgenſes cùm ab Hugone, qui Dienſis agnominabatur, Archiepiſcopo Lugdunenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato, viro in tenore iuſtitiæ clariſſimo, creberrimo anathemate feriretur, & ille manu militari theſauros Eccleſiæ dilapidare niteretur, à ſede, quam malè obſederat, pepulerunt.* & paulò pòſt: *At Bruno vrbe deſerta ſæculo etiam abrenunciare propoſuit, qui ſuorum notitias horrens ad Gratianopolitanum proceſſit territorium. Ibi in arduo admodum & terribili promontorio, ad quod difficillimum, & valdè inſolens iter intenditur, ſub*

eo enim præruptiſſimæ vallis vorago dehiſcit, habitare deligens, eiuſmodi mores inſtituit, & ſequaces eius hodie ſic viuunt: & Eccleſia ibi eſt, non longè à crepidine montis paulò ſinuatum deuexum habens, in qua tredecim ſunt monachi. Clauſtrum quidem ſatis idoneum pro cœnobiali conſuetudine habentes, ſed non clauſtraliter, vt ceteri cohabitantes. Habent quippe ſingulas cellulas per gyrum clauſtri proprias, in quibus operantur, dormiunt, ac veſcuntur. Dominica à diſpenſatore eſcas, panem ſcilicet ac legumen accipiunt, quod vnicum pulmenti genus à quoquam eorum apud ſe coquitur. Aquam autem tam hauſtui, quàm reſiduo vſui ex ductu fontis, qui omnium obambit cellulas, & ſingulorum per certa foramina ædiculis influit, habent. piſce & caſeo Dominicis, & valdè feſtis diebus vtuntur. piſce dixerim, non quem ſibi ipſi emerunt, ſed quem bonorum aliquorum virorum largitione ſuſceperunt, aurum, argentum, ornamenta Eccleſiæ à nemine. Nihil enim ibi præter calicem argenteum. Ad eandem Eccleſiam non horis ſolitis ſicuti nos, cum ceteris conueniunt. Miſſas, ni fallor, Dominica & ſolemnibus audiunt. Nuſquam plus loquuntur. Nam ſi quid peti neceſſe eſt, ſigno exigitur: vinum ſi quando bibunt, adeo corruptum eſt, vt nihil virium, nihil plus ſaporis vtentibus afferat, vixque communi ſit vnda præſtantius. Ciliciis vtuntur ad nudum, ceterarum veſtium multa tenuitas. Sub Priore degunt, vices autem Abbatis ac Prouiſoris Gratianopolitanus Epiſcopus vir plurimùm religioſus exequitur. Cùm in

Digitized by Google

omnimoda paupertate ſe deprimant, ditiſſimam tamen bibliothecam coaggerant, quo enim minus panis huius copia materiali exhuberant, tanto magis illi, qui non perit, ſed in æternum permanet, cibo operosè inſudant, in tantum, inquam, ſuæ ſunt cuſtodes inopiæ, vt hoc ipſo, quo agimus anno Niuernenſis Comes vir omninò religioſus & potens ex cauſa deuotionis, & optimæ, quæ hinc emanat, opinionis inuiſerit, multúmque ſuper ſæculari eos cupiditate, vt cauerent inde, monuerit. Cúmque regreſſus ad ſua, eorum indigentiæ, quam viderat, meminiſſet, neſcio quæ argentea, ſcyphos videlicet & ſcutras pretij plurimi eis miſit. Sed eorum, quæ dixerat illis, nequaquam obliuioſos inuenit. Communicato namque mox conſilio quæcumque dixerat, ad integrum refutata recepit. Nos, inquiunt, neque in expenſis noſtris, neque in Eccleſiæ ornamentis exterarum quippiam pecuniarum retinere delegimus. Et ſi in horum alterutrum non expenditur, vt quid à nobis ſuſcipitur? Puduit itaque præuaricatoriæ contra ſuum ſermonem oblationis Comitem, & tamen diſſimulata aſpernatione eorum, boum iugera, & pergamena plurima retranſmiſit, quæ penè ineuitabiliter neceſſaria eſſe cognouit. Vocatur autem locus ille Cartuſia, in quo terra rei frumentariæ cauſa parum ab eis colitur. Verùm velleribus ſuarum, quas plurimas nutriunt, ouium, qualeſcumque ſuis vſibus fruges comparare ſoliti ſunt. Sunt autem infra montem illum habitacula laicos vicenarium numerum excedentes fideliſſimos retinentia, qui ſub eorum agunt dili-

Digitized by Google

gentia. Igitur tanto cœpta contemplationis feruore feruntur, vt nulla temporis longitudine à ſua inſtitutione deſiſtant, nec aliqua ardua illius conuerſationis diuturnitate tepeſcant. Inde etiam qua neſcio occaſione mirabilis iſte Bruno recedens, poſtquam his, quæ prælibauimus rudimenta, multa dictorum & factorum inculcatione præſtiterat, ad Apulos neſcio Calabróſve receſſit, & ibidem huic quoddam ſimile viuendi genus inſtituit, ibi cùm multa humilitate ſe ageret, & omnimoda piorum exemplorum præbitione circumquaque fulgeret, ad Epiſcopi dignitatem ab Apoſtolica ſede quæſitus & tentus fugit: & ſæculum veritus, ne ea, quæ de Deo guſtauerat, amitteret, tum delatione tanti muneris non diuina, ſed ſæcularia recuſauit. Secundùm hunc auctorem locus nullus relinquitur prodigioſæ Doctoris anaſtaſi, quæ Brunonem in eremum Cartuſiæ impulerit. Nam quæ id effecerit, aliam omninò cauſam tradit his verbis: *Qui conuerſionis initia ex ſubiecta nactus occaſione dinoſcitur: Manaſſes quidam poſt Geruaſij famoſiſſimi Archiepiſcopi deceſſum prædictæ vrbis regimini ſimoniacè ſe intruſit. Vir quidem nobilis, ſed nihil prorſus ſerenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens.* & poſt alia: *Huius ergo mores prorſus improbos, & ſtupidiſſimos habitus cùm omnis honeſtus horreret, Bruno tunc in Eccleſiis Galliæ opinatiſſimus, cum aliis quibuſdam Remenſium Clericorum nobilibus infamis illius odio exceſſit ab vrbe.* Scilicet vbi conſilium excedendi cepit, habita cum Radulpho collatio-

ne, cuius in epiſtola ad eundem Bruno mentionem facit. Sed quæſo te in hac benè longa narratione Guiberti, quo in loco verbum vnum de Lutetia, quæ florentem omni literarum genere Academiam tunc habuerit? de Doctore rediuiuo, qui damnatum ſe tribus vicibus inter ſolemnes exequias dixerit? de ſolemnibus tandem exequiis, quas ordo Eccleſiæ vniuerſus cohoneſtarit? Hîc verò de Remenſi vrbe, qua Bruno diſceſſerit Gratianopolim, fit ſermo; de Archiepiſcopo Manaſſe, qui ſummam dignitatem infami mercimonia conſecutus ſit: de Hugone Dienſi, qui Manaſſem abdicarit; de improbis tandem Manaſſis moribus, qui fuerint in cauſa, cur Bruno, & alij quidam nobiles Remenſis Eccleſiæ Clerici ſeſe in ſolitudinem receperint. Itáne apud antiquos omnes rata fuerunt, quæ de Doctore Pariſienſi narrantur? Sed forſan in antiquis habendus non erit Guibertus Abbas, quem aliàs Brunonis ſupparem eſſe conſtat, & hocce loco talem ſe profitetur. *Fuit non longè ab his diebus Bruno quidam in vrbe Remenſi vir & liberalibus inſtructus artibus, & magnorum ſtudiorum rector.* Sed audio, qui dicat, quanquam ridiculè & omninò inſulsè, horrificam illam Doctoris anaſtaſim, & impulſum inde in Cartuſiam ſanctiſſimum virum à Guiberto non negari. Statua dignum inuentum, ſed plumbea. Neque etiam à quoquam hiſtoricorum diſertis verbis negatur, ſimili prodigio territos fuiſſe Benedictum, Stephanum Grandimontenſem, Robertum Moliſmen-

Digitized by Google

ſem, Norbertum, Franciſcum & Dominicum, & inde ad ſuarum Religionum inſtitutionem compulſos. An ideo verum erit, vnumquemque eorum inſtituendæ religionis conſilium iniiſſe, quòd adfuerit funeribus cuiuſdā mortui, qui ſeſe damnatum pluries vociferatus ſit? Hoc tamen qui contenderet, paratos numero 1. communes inueniret locos, quibus ſuam contentionem egregiè tutaretur. Sunt enim apti ad quidlibet probandum. ſed cùm iis probentur omnia, nihil planè probatur. *Qui* enim *ſermo*, vt ait Hieronymus, *omni materia conuenit, nulli conuenit.*

Verùm aliam conciliandi cum Antonino, Nauclero & aliis recentioribus Guiberti viam aperit, qui nuper Epiſtolam Didaſcalicam ſcripſit de cauſa conuerſionis S. Brunonis: Sic enim habet pag. 32. & 33. *Ceterùm innumera, vt ait S. Chryſoſtomus, ad ſalutem nobis à Deo ſunt via, nec vna aliam excludit. Bruno cunctationem ſuam non diffitetur, ſed agnoſcit, ſe etiam poſt votum conuerſionis obices, nexuiſſe moras, friguiſſe animo, feruorémque ſuum euanuiſſe. Quid mirum igitur, ſi Manaſſis Archiepiſcopi vitiis, probríſque primùm confuſus, deinde ſeria meditatione vanitatis mundi, & vita aterna deſiderio excitatus, dehinc compulſus miſeri illius defuncti ſpectaculo ad ſaniora conſilia conuolarit? Verùm vt ad auctores, qui varia, non aduerſa referunt, redeamus, facile eſt eorum dicta ad ſuauem reuocare concentum. De ſeceſſu Brunonis conueniunt Antoninus, Nauclerus & Volaterranus, eiúſque loco & tempore;*

Digitized by Google

huius autem cauſam aliam aſſignauit, cui nimirum horrenda illa vociferatio defuncti damnati dederit occaſionem. At obſecro, vir ſapientiſſime, numquid iſta cauſa ita inuicem aduerſantur, vt concurrere non potuerint in eundem terminum? Implicare dici-ne poteſt, Brunonem canonicum Remenſem iam ob praua exempla Archiepiſcopi ſui ſæculum faſtidientem, vel contemptu eius vanitatis factum vera, æternaque felicitatis cupidum, Pariſios, vbi tum maximè omnium ſcientiarum ſtudia florebant, ſe contuliſſe, vbi dum (ſicut omnes actorum eius ſcriptores vnanimiter referunt) Theologicis theorematis magna cum ſedula exercitationis fruge incumberet, illo conſpecto terribili ſpectaculo, repente hos ſuos abruperit progreſſus, atque cum delectis aliquot & conſciis voti ſodalibus velut generoſa aquila ad altiſſimam illam, aſperrimámque rupem Diœceſis Gratianopolitanæ aduolarit, conuolarit meliùs diceretur ab eo, qui Lutetiæ Pariſiorum ſcribit. & poſt alia pagina 34. & 35. *Perſpexit fortè Guibertus in deſcriptis iam ab aliis obſeruatoribus geſtis ſancti Brunonis, hanc narrationem de damnati ferali voce longè latéque poſitam, eſſéque omnibus notam, ideóque, vt rurſus à ſe literis mandaretur, non indicaſſe fore operæpretium. aliam igitur ſuppleuiſſe cauſam, quam ceteri prætermiſerant, vt minùs compertam. Sic igitur vtriuſque ſcriptionis ſeries benè & appoſitè cohæret, nulláque iam contrarietas intercedit, qua quod vna continet, alterius queat oppoſitione refringi. at quadrant viciſſim ad*

Digitized by Google

amuſſim omnia. Quamobrem manet Guiberti integra auctoritas, ſic eſt Antonino, Nauclero, Volaterrano & ceteris qui fuſiorem actorum S. Brunonis collectionem ſecuti ſunt, ſalua fides. Hic eſt vltimus communis locus, quem numero primo retulimus, & qui hîc quoque referri debuit, vt quadam continuata rerum, quæ Guibertum Abbatem attinent, progreſſione expendantur. Iam ergo animaduertimus Brunonem nullos poſt votum conuerſionis ſenſiſſe obices, quibus ab eo implẽdo prohiberetur, nullas nexuiſſe moras, quæ vt ſoluerentur, horribili quodam ſpectaculo indigerent. Iam quoque oſtendimus, Brunonis ad Radulphum epiſtolæ locum, quo nititur auctor Epiſtolæ Didaſcalicæ, aliter intelligendum eſſe, quàm intellexit, & tacito Brunonis conſilio intelligendum propoſuit. Sed non poſſum non mirari, quæ hic auctor ſcribit, vt & ſuum horribile ſpectaculum Pariſiis accidiſſe, & eo Brunonem ad voti ſolutionem impulſum propugnet. Etenim quod teſtimonio Guiberti aduerſetur, ſi dedita opera voluiſſet quippiam fingere, vix propemodum aliud finxiſſet magis contrarium: tantùm abeſt, vt Guibertus cum Antonino vel aliis huius ſpectaculi inuentoribus conciliari poſſit. Verùm Guiberti verba cum Auctoris Didaſcalici verbis cõtendamus. Hæc autem habet Guibertus: *Fuit non longè ab his diebus Bruno quidam in vrbe Remenſi, vir & liberalibus artibus, & magnorum ſtudiorum rector, qui cõuerſionis initia ex ſubiecta nactus occaſione dinoſcitur. Manaſſes quidam*

Digitized by Google

poſt Geruaſij famoſiſſimi Archiepiſcopi deceſſum prædicta vrbis regimini ſimoniacè ſe intruſit. & paulò pòſt: *Huius ergo* (Manaſſis) *mores prorſus improbos & ſtupidiſſimos habitus cùm omnis honeſtus horreret, Bruno tunc in Eccleſiis Galliæ opinatiſſimus, cum aliis quibuſdam Remenſium Clericorum nobilibus infamis illius odio exceſſit ab vrbe.* & paulò pòſt: *At Bruno vrbe* (Remenſi) *deſerta ſæculo etiam abrenuntiare propoſuit, qui ſuorum notitias horrens ad Gratianopolitanum proceſſit territorium.* Auctor verò Didaſcalicus pagina 32. & 33. *Quid mirum*, inquit, *ſi Manaſſis Archiepiſcopi vitiis probriſque primùm confuſus, deinde ſeria meditatione vanitatis mundi, & vitæ æternæ deſiderio excitatus, dehinc compulſus miſeri illius defuncti ſpectaculo ad ſaniora conſilia conuolarit?* Ibi Bruno ſceleratiſſimos Archiepiſcopi ſui mores cùm ferre non poſſet, Remenſem vrbem deſeruit, & abdicato ſæculo ad Gratianopolitanum proceſſit territorium: hîc verò abrenuntiata mundi vanitate, Remis Lutetiam venit. Ibi Bruno magnorum ſtudiorum rector deſiit eſſe Remis, & abiecta ſuorum familiaritate in ſolitudinem ſeſe recepit Gratianopolim: hîc verò poſt votum conuerſionis retenta ſuorum familiaritate Remis Lutetiam perrexit, vt quam antea Remis ſcientiam profitebatur, Lutetiæ profiteretur, atque immemor voti ſemper opinor profeſſurus, niſi accidiſſet miſeri illius defuncti ſpectaculum, quo ad implendum votum impelleretur. Ibi Bruno cum quibuſdam Remenſis Eccleſiæ Cleri-

cis

çis Remis Gratianopolim diſceſſit, extra ſæculi commercia habitaculum quæſiturus: hîc verò Bruno Remis Lutetiā profectus, & illic poſtea horribili ſpectaculo territus, Theologiæ, cui magna cum auditorum frequentia vacabat curſum abrupit, & delectis aliquot & cōſciis voti ſodalibus, ad aſperrimam Gratianopolitanæ Diœceſis rupem conuolauit. Debuit ergo Bruno, ſi ſuperis placet, illos Remenſis Eccleſiæ Clericos ſecum Lutetiam adduxiſſe, qui cum Brunone Deum è machina exſpectarent: debuit planè: immo debuit & quiduis feciſſe aliud, modò horribile ſpectaculum, quo Auctor Didaſcalicus ſe à puero imbutum eſſe ait, in ſacrarum precum libellulis, in Breuiariis, in Miſſalibus Pariſienſis Diœceſis, & aliarum nonnullarum, & demùm in Cartuſienſium parietinis retineatur. Hoc eſt modò ſecundùm Dialecticæ contradictionis regulas nihil vetet, quominus quæ pagina 33. Epiſtolæ Didaſcalicæ tradidit, vera eſſe potuerint. quaſi mehercule, vt vera ſint ea, ſatis ſit, vt vera eſſe non repugnet. Sic enim pagina 33. argumentatur: *Implicare dicine poteſt*, & cetera quæ retulimus, & quæ perſpicuè demonſtrant, non immeritò dictum eſſe pagina 27. Epiſtolæ Didaſcalicæ, quòd *aliquando bonus dormitat Homerus*.

Ad communem autem locum quod attinet, in eo Didaſcalus noſter duo ſupponit, quæ qua facilitate affirmantur, eadem & negantur, immo & cum ratione negantur; tametſi cum ratione non affirmentur. Vnum

Digitized by Google

eſt, ante Guibertum de Nouigento fuiſſe, qui geſta ſancti Brunonis deſcripſerant; alterum in iis geſtis haberi hiſtoriam defuncti hominis, qui ferali voce ſe eſſe damnatum inter exequias aſſeruit, eámque, omnibus nota cùm eſſet, Guibertum omiſiſſe, atque aliam tum demùm cauſam adnotaſſe, quam ceteri prætermiſerant, vt minùs compertam. At quis non videt hocce communi loco nulla non figmenta recentiorum cum veterum hiſtoriarum veritate conciliari poſſe. Statuamus exemplum in iis, quæ Faſciculus temporum antiquæ editionis tradit ætate 6. ad annum 1084. *Pariſius*, inquit, *horribile miraculum contigit de quodam magiſtro magni nominis, qui ter exclamando dixit, ſe damnatum: quapropter multi ſolemnes viri ſæculo abrenunciauerunt, & diuerſas Religiones inſtituentes celebre nomen poſteris reliquerunt & exemplum. Ordo Cartuſienſium ſanctiſſimus incepit hoc tempore per Brunonem*, &c. quæ ſuo loco referentur. Sic inter illos ſolemnes viros numerabo Robertum, qui Ciſtercienſem, & Norbertum, qui Præmonſtratenſem Ordinem excitauit. Si quis verò contradicat, illico reponam, quæ hîc Didaſcalus noſter de Guiberto ſapientiſſimè docet. Tum confirmabo auctoritate Cæſarij Heiſterbacchenſis, qui, vt ait pagina 43. *hanc in Francia olim factam hiſtoriam commemorat lib. 11. de miraculis & viſionibus cap. 49.* Hæc enim hiſtoria non minùs Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium, quàm Cartuſienſium inſtitutioni conuenit.

Digitized by Google

Poſtremò addam, quæ pagina 25. in gratiam ſancti Antonini, Volaterrani, & Naucleri, ſic ſcribit: *Multa certè à viris etiam doctis creduntur, quæ vnius ſolius auctoris nituntur ſuffragio, non maioris famæ & nominis, ſed minoris etiam fidei, quàm vel horum trium ſit minimus.* Satis eſt abſurdorum, quæ ex illo communi loco deducuntur.

Ad duo Didaſcali noſtri pronunciata comminus accedo, & imprimis dico neminem fuiſſe, qui ante Guibertum ſancti Brunonis geſta ſcripſerit, cuiuſmodi ſcripta fuiſſe tradit. qua de re ita conqueritur Petrus Dorlandus lib. 1. Chronici c. 1. *Fuêre olim Scriptores, qui facta illuſtrium Ordinis Diui Benedicti, Bernardi, Dominici, Franciſci, reliquorúmque ſublimium Patrum egregiò ſermone palam effecerint, ſed heu (proh dolor) nemo apud noſtros inuentus eſt (ſic enim noſtra viluerunt nobis) qui ſereniſſima geſta noſtrorum efferret in lucem.* Hæc ille Cartuſienſis, quibus adiungo longè grauiorem querimoniam, quæ in vita Dionyſij Cartuſienſis habetur: *Hunc*, inquit auctor, *Brunonem, quem omnis Cartuſia veneratur, hactenus tu adeò ſeruabas ignotum, vt extra illam patriam quis Bruno, quíſve Ordinis tui fuerit auctor, penè mundus ignorauerit. Vnde factum eſt, vt non pauci hiſtoriæ veritatem ignorantes, illum ipſum Doctorem, qui Pariſiis poſt mortem damnatum ſe reuelauit, cuiúſque iudicio territus Bruno cum aliis ſex hoc genus viuendi, quod Cartuſianum dicitur, inſtituit, falsò putauerint eſſe Brunonem.* Nunc

Digitized by Google

videat Didaſcalus noſter, quantum ſit diſcriminis inter ea, quæ gratis & ſine ratione traduntur, & quæ, vti natura rerum exigit, probantur.

Deinde dico, in ſancti Brunonis geſtis, quæ Guiberti tempore ſcripta ſunt, nihil reperiri omnino, quod ad damnati Doctoris vel Canonici Pariſienſis narrationē ſpectet. Iam retulimus, quæ Guigo quintus Cartuſiæ Prior de Brunone ſcripſit in vita S. Hugonis, qui Gratianopolitanam Eccleſiam rexit, vbi de damnato Doctore aut Canonico Pariſienſi nihil habetur. Modò referemus Breuiariū vitæ Brunonis, quod extat in veteri Codice manuſcripto ſtatutorum Cartuſienſium, vbi de damnato Doctore, aut Canonico Pariſienſi nihil habetur. Referemus etiam, quæ Petrus Venerabilis de Brunone & prima Cartuſienſium origine memoriæ prodidit, vbi quoque de damnato Doctore aut Canonico Pariſienſi nihil habetur. Laudet igitur Didaſcalus illos auctores, qui ante Guibertum Brunonis geſta deſcripſerint, iiſque damnati Doctoris Canonicive Pariſienſis narrationem indiderint: aut certè pro ſua ingenuitate fateatur, ſeſe de illis auctoribus dixiſſe ea, quæ ne dicerentur, prohibuit veritas. Hoc autem cùm ita ſit, Guibertus veram conuerſionis ſancti Brunonis cauſam ſcriptis conſignauit, & ea, quæ illi nunc ex horribili ſpectaculo aſſuitur, purum putum figmentum eſt, cuius epocham ſuo tempore dabimus.

Digitized by Google

IV. *Teſtimonium Ordinis Cartuſianorum.*

HIc vocamus Ordinis Cartuſianorum teſtimonium, quod ducimus ex vetere manuſcripto Codice ſtatutorum & conſuetudinum Ordinis, vbi vita Brunonis & quatuor conſequentium Cartuſiæ Priorum ſummatim exarâtur. Hæc eſt autem Brunonis vita: *Magiſter Bruno natione Teutonicus ex præclara vrbe Colonia parentibus non obſcuris natus, literis tam ſæcularibus, quàm diuinis valdè munitus, Eccleſiæ Remenſis, quæ nulli inter Gallicanas ſecunda eſt, Canonicus & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundauit, & rexit ſex annis, qui cogente Vrbano, cuius quondam præceptor fuerat, Romanam perrexit ad Curiam, eundem Papam ſolatio & conſilio in eccleſiaſticis negotiis iuuaturus. Sed cùm tumultus & mores Curiæ ferre non poſſet, relictæ ſolitudinis & quietis amore flagrans, relictâ Curiâ, contempto etiam Archiepiſcopatu Rheginenſis Eccleſiæ, ad quem ipſo Papa volente electus fuerat, in Calabria eremum, cui Turris nomen eſt, ſeceſſit, ibique laicis & clericis quamplurimis adunatis ſolitariæ vitæ propoſitum, quandiu vixit, exercuit, ibique defunctus humatus eſt poſt egreſſum Cartuſiæ.* Hîc mentio nulla Doctoris vel Canonici Pariſienſis mortui, qui ſolemnes inter exequias damnatum ſe eſſe reſponderit, aut huiuſce portenti, quod beatum Brunonem in eremum Car-

tuſiæ impulerit: quæ tamen duo rata eſſe apud antiquos omnes Raynaudus ſcribere non dubitauit. Antiquis porrò ſcriptoribus non poſſum non accenſere eos, qui Codicem illum ſtatutorum Pariſijs, vbi nunc apud Cartuſienſes aſſeruatur, vel alio in loco deſcripſerunt, & quinque primorum Cartuſiæ Priorum hiſtoriam ita ediderunt, vt ſiquid in iis miraculi deprehenſum eſt, obſeruarint. Quamobrem nihil eſt admodum, cur cauſeris, hos auctores, de quibus loquimur, ea ſilentio præteriiſſe, quæ ad commendandam Priorum illorum conuerſionem, & ſæculi fugam conducerent. Neque verò cauſa mihi vlla ſuppetit, cur vetuſtiores Cartuſiani præcipuum originis ſuæ monimentum omiſiſſent, quod recentiores ex iis nonnulli in libros & parietinas tam cupidè coniiciunt, & *horrendum ſæculiſque omnibus memorandum ſpectaculum* appellant. Hoc certè monimentum eiuſmodi non eſt, vt antiquos omnes Cartuſianos latuerit, & ſolis notum eſſe potuerit recentioribus, qui hac in parte ſi rectè ſaperent, nonniſi ex antiquiorum commentariis ſapere deberent. *Quod enim*, inquit Baronius, *de rebus adeo antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.*

V. *Teſtimonium Petri Cluniacenſis, qui Venerabilis dictus eſt.*

PRÆ ceteris Cartuſianorum originem & Ordinem declarauit Petrus Cluniacenſis,

cuius hæc ſunt verba lib. 2. de miraculis c. 28. *Seruatur,* inquit, *in Burgundiæ finibus inter omnes Europæ noſtræ monaſtici ordinis profeſſiones, profeſſio quædam multis aliis eiuſdem monaſtici propoſiti ſanctior & cautior inſtituta noſtro tempore à quibuſdam Patribus magnis, doctis & ſanctis, Magiſtro Brunone Colonienſi, Magiſtro Landuino Italico, ac quibuſdam aliis, & verè magnis, vt dixi, & Deum timentibus viris, qui quorumdam antiquorum monachorum tepiditate, negligentia, ac deſidia prædocti, ſæculo abrenunciare volentes, cautiùs ſibi, ſuíſque in via Dei ſectatoribus conſuluerunt, & vigilanti oculo Ordinem contra omnes penè Satanæ inſidias circumſpectum inſtituerunt. Nam vt contra ſuperbiam, quæ iuxta Scripturam, initium eſt omnis peccati, & contra eius nefandam ſobolem inuidiam dico, ambitionem, & vanam gloriam, ac ſiqua ſunt alia, Ordo ab eis inſtitutus, quantum iuxta eorum ſcientiam homini erat poſſibile, armaretur, veſtes viliſſimas, ac ſuper omne religionis propoſitum abiectiſſimas, ipſóque viſu horrendas aſſumpſerunt. quantitate enim breues & anguſtæ, qualitate ita vt vix aſpici poſſint, hirſutæ & ſordidæ, nullum gloriandi vitium ſe poſſe admittere indicant, & noui quidem, quod in ſordido habitu Diabolus, quod ſuum eſt, quærit, & humilitatis veſtibus quandoque texturam ſuperbiæ interſerit, ſed tamen iam dicti iuſti, & Deum quærentes viri in quantum potuerunt, ne princeps mundi per ſuperbiam, aut ſuperbiæ familiam in ſe vel in ſuis ſibi locum inue-*

Digitized by Google

nire poſſet, ſummo ſtudio prouiderunt. Cupiditatem inſuper, quæ radix malorum dicitur, vel auaritiam, quæ idolorum ſeruitus vocatur, ne nimis venenoſa virgulta quolibet tempore producere poſſet, ita radicitus auulſerunt, vt certos terminos iuxta locorum ſuorum fertilitatem, aut ſterilitatem in circuitu cellarum ſuarum maiores minoréſve præfigerent, extra quos etiamſi totus mundus offerretur eis, nec ſaltem quantum pes humanus occupat terræ, ſpatium acciperent, & vt non eſſet eis quandoque neceſſarium vel plus terræ, quàm dictum eſt, poſſeſſioni ſuæ addere, aut numerum iumentorum ſuorum, vel pecorum augere, duodecim tantùm monachos cum decimo tertio Priore, ac octodecim conuerſis, paucíſque mercenariis nullo prorſus ſuperaddito in ſui Ordinis monaſteriis eſſe perpetuò decreuerunt. Ea etiam de cauſa animalibus vel pecoribus ſuis certum, quem tranſgredi fas non eſſet, terminum inſtituerunt, bobus ſcilicet, aſinis, ouibus, capris, vel hircis, præter iſta ad edomandum iumentum corporis ſui, & ad ſubigendam iuxta Apoſtolum legem membrorum ſuorum repugnantem legi mentis ſuæ, duris carnem ciliciis ſemper exaſperant, continuatis penè acribus ieiuniis corpora affligunt, extenuant, & deſiccant. Inde eſt, quòd pane furfureo ſemper vtuntur, & vino ita adaquato, vt meritò magis villum, quàm vinum dicatur, ab omni carnium eſu tam ſani, quàm ægri in perpetuum abſtinent: Piſces numquam emunt, ſed fortè ex caritate datos accipiunt. Die Dominico & quinta feria tan-

tùm caſeum vel oua ad veſcendum admittunt. Tertia feria ac Sabbato aut legumine aut olere coсto vtuntur. Omni ſecunda, & quarta, & ſexta feria pane ſolo & aqua contenti ſunt. Semel in die ſemper comedunt, exceptis octo diebus Natalis Domini, octo diebus Paſchæ, octo diebus Pentecoſtes, Epiphania Domini, hoc eſt, repræſentatione eius, Purificatione ſanctæ Mariæ, Annuntiatione Domini, quando Paſchali tempore prouenit, Aſcenſione Domini, Aſſumptione ac Natiuitate iam dictæ ſacræ Virginis matris eius, & exceptis diebus feſtis duodecim Apoſtolorum, ſancti Ioannis Baptiſtæ, & illo, quod in Calendis Nouembris celebratur, feſto Omnium ſanctorum. Super hæc omnia more antiquorum Ægyptiorum monachorum ſingulares cellas perpetuò inhabitant, vbi ſilentio, lectioni, orationi, atque operi manuum maximè in ſcribendis libris irrequieti inſiſtunt. In eiſdem cellis debitum regularium horarum, hoc eſt, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Completorium ſigno Eccleſiæ commoniti Deo perſoluunt, támque ſuum interiorem quàm exteriorem hominem, habitu, voce, vultu, rebus viſibilia excedentibus, ſpretis cunctis aliis intentum, immo affixum eſſe oſtendunt. Ab hoc more excipiunt illos feſtiuos dies, qui ſuprà ſumpti ſunt, in quibus bis comedunt, & in quibus more monachorum non per cellas, ſed ſimul habitantium, non ſolùm omnes regulares horas in Eccleſia decantant, ſed & in refectorio tam poſt Sextam, quàm poſt Veſperas, nullo ſoſpite excepto communiter edunt: quibus tantùm die-

Digitized by Google

bus antiquorum Eremitarum æmulatione, ne ab aliis ſacris operibus licèt dignitate inferioribus impediatur, ſalutare omnipotenti Deo pro ſalute ſua ac mundi ſacrificium offerunt, quod ex vſu iam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur, miſſa vocatur. His ſacris diebus, qui ſingulari priuilegio à Domino, vel eius reſurrectione Dominici dicuntur, ac ſæpè dictis ipſius, vel ſanctorum eius ſolemnitatibus Miſſas celebrant diebus, quibus eis vti legumine licet, illud ipſi ad menſuram acceptum ſibi aptant & coquunt. Hoc verò tunc, quando non communiter in refectorio, ſiue quando eos in cellis ſuis ſolos comedere eremitica inſtitutio præcepit. Vinum nullo tempore ante menſam, vel poſtea ſumunt. Sed ſiquis tunc ſitim paſſus fuerit, aqua ei non vino vti licet. His ne tam ſanctam inſtitutionem omnino muti præteriiſſe videremur, breuiter præmiſſis, ad miracula per quoſdam ex ipſis noſtro tempore facta procedendum eſt. Hæc enim in toto iſto opere principalis, vt ſæpè iam dixi, fuit mihi cauſa ſcribendi, hoc eſt vbilibet, & quolibet tempore facta, ad præſentium vel poſterorum memoriam tranſmittendi.

Idem auctor cap. 29. *Multa quidem,* inquit, *in illo ſacro ordine miracula contigiſſe à pluribus accepi, ſed quia ipſi humilitatis virtute, qui ſemper ſerui Dei miranda opera ſua quanto poſſunt niſu occultant, vix aliquid ex his prodere alicui voluerunt: rara immo rariſſima, quibus omnimoda fides accommodanda eſſet, ad me miracula peruenerunt, quæ tamen abſque dubio comperi, tacere nec volo, nec propoſui. Fuit ex*

eorum numero, non quidem Monachorum, ſed Conuerſorum Conuerſus quidam humilis genere, iuuenis ætate, ſed moribus generoſus & vitæ ſanctitate prouectus. & cetera, quæ reliquo capite pluribus exponit.

His accedunt & ad rem noſtram maximè pertinent, quæ Petrus idem Cluniacenſis de ſcopo ſuo in vtroque de miraculis opere præfatur: In Priori quidem, vbi ſic ait: *Indignari ſæpe ſoleo, cur ea, quæ noſtris temporibus proueniunt* (miracula) *cùm non ſit qui ad illa ſcribenda animum applicet, quæ prodeſſe legentibus manifeſtata poterant, infructuoſo ſilentio tecta diſpereant. Vnde quoniam nullum ad hæc niſi me cogere poteram, malui quolibet ſtilo ea aggredi, non pauens de præſumptione tantæ rei iudicari, & vt antè à quodam dictum eſt, ad tam vtilem rem explicandam me magis eſſe volui, quàm neminem.* In poſteriori verò, vbi hæc ſcribit: *Quoniam ad roborandam fidem & mores inſtituendos miracula noſtro tempore, vel circa noſtra tempora geſta, quorum cognitio indubia datur, ſcribere propoſui. Poſtea quæ præmiſſa ſunt, alia quoque legentibus, vel audientibus, non minùs, vt credo, vtilia adiungenda ſunt. In quibus, vt ſuprà iam dixi, nullum temporis ordinem ſeruo, nullius generis miracula vito, ſed ſicut ea vel olim didici, vel quotidie à diuerſis & fide dignis diſcere poſſum, ſcripturæ commendo.* Hæc autem omnia, quæ paulò longiora deſcripſimus, ſi ſuis, vt decet, momentis expendantur, multas ſuggerent rationes, quibus vel ſolis noſtra Defenſio firmiſ-

ſimè conſtabilitur. Imprimis Petrus ſtatuit miracula, quæ ſuo tempore vbiuis contigerant, literis conſignare: Deinde ſingula miracula, quæ vel ſuis vſurpauerat oculis, vel quæ ab hominibus fide dignis acceperat, duobus libris comprehendit. Tum ad ſecundi libri calcem Cartuſianæ religionis initium ſtatuta & mores vberiori oratione depingit. Quinetiam ſeſe dolere plurimùm teſtatur, quòd plura non poſſit referre miracula, quæ ad amantiſſimum ſibi Cartuſianorum Ordinem ſpectent. Poſtremò inter miracula, quæ ſuo tempore paſſim in Galliis facta commemorat, & inter ea, quæ de prima Cartuſianorum origine & miraculis diſſerit, ſtupenda Doctoris vel Canonici Pariſienſis mortui narratio deſideratur, ſed cùm deſideretur, euidenter apparet, eam non eſſe apud antiquos omnes raram, contrà quàm à Theophilo Raynaudo ſcriptum eſt, & confidentiſſimè ſcriptum. Dicam ampliùs in fabulis habendam eſſe illam narrationem, & quicquid illi ſuperſtruitur.

Cur autem Petrus Venerabilis huiuſce prodigij non meminerit, auctor Epiſtolæ Didaſcalicæ id ex eo contigiſſe docet pagina 40. quòd *non agat de inſtitutione, ſed de inſtituta Aſcetarum Cartuſiani Ordinis.* quaſi verò ab vtriuſque libri, quem de miraculis ſui temporis ſcribit, ſcopo aberraſſet, ſi de Cartuſienſium inſtituto diſſerens, miraculum, quod cauſa inſtitutionis fuiſſet, monimentis illuſtraſſet ſuis. Vtinam plerique auctores in ſuis operibus nihil magis ἀπροσδιόνυσον aut παρεργό-

Digitized by Google

περι tractarent. Ij certè tunc nos onere, quod Ætna grauius eſt, leuarent.

Deinde hanc aliam rationem ſubiungit pagina 42. *Quia*, inquit, *ſtatuerat enarrare quædam miracula, quæ in Ordine tempore ſuo potiſſimùm contigerant, defuncti autem illius terribilis vociferatio euenerat ante Ordinis ipſius inſtitutionem, adeóque diù antè, quàm Petrus hic libros de miraculis conſcribere exorſus fuiſſet.* An autem diu ante, vel breui poſt Cartuſienſis Ordinis inſtitutionem Petrus libros de miraculis ſcripſerit, nihil planè refert. Etenim Cartuſienſium Ordinem cùm ſuo tempore inſtitutum eſſe dicat, aſſertum à Didaſcalo noſtro prodigium ſuo quoque tempore contigit, ſi verum eſt, quod pagina 34. Epiſtolæ Didaſcalicæ ſic docet: *Bruno conſpecto terribili ſpectaculo repente hos ſuos in Theologicis theorematis abrupit progreſſus, atque cum delectis aliquot, & conſciis voti ſodalibus velut generoſa aquila ad altiſſimam illam aſperrimámque rupem Diœceſis Gratianopolitanæ aduolauit.* Quòd autem ſuo tempore inſtituta ſit Cartuſienſium religio, his Petrus profitetur verbis: *Seruatur in Burgundiæ finibus inter omnes Europæ noſtræ monaſtici ordinis profeſſiones, profeſſio quædam multis aliis eiuſdem monaſtici propoſiti ſanctior, & cautior, inſtituta noſtro tempore, à quibuſdam Patribus, magnis, doctis & ſanctis, magiſtro Brunone, magiſtro, Lauduino Italico, ac quibuſdam aliis.* Igitur cùm Petrus miracula, quæ ſuo tempore acciderant, quæque, vt ipſe ait, vel olim didice-

rat, vel ab hominibus fide dignis acceperat, memoriæ prodere cõſtituerit, nihîlque de huiuſmodi prodigio adnotarit, huiuſmodi prodigium nullatenus accidiſſe concludendum eſt. Vnde manifeſtè conſtat, exceptiones, quas modò ex Epiſtola Didaſcalica retulimus, eas non eſſe, quæ noſtris in Petrum Venerabilem obſeruationibus ſatisfaciant. Quarè conſultiùs, mea quidem ſententia, feciſſet auctor ille, ſi de Petro idem quod de Guiberto dixiſſet, hoc eſt, Petrum omiſiſſe *hanc narrationem de damnati ferali voce longè latéque poſitam, eſſéque omnibus notam, ideóque vt rurſus à ſe literis mandaretur, non iudicaſſe fore operæpretium.* Hoc enim communi loco ſoluuntur omnia, difficultates quęcumque tolluntur, factæ in Petrum obſeruationes eneruantur. Vno verbo, vt ait Didaſcalus noſter pagina 35. *quadrant viciſſim ad amuſſim omnia.*

VI. *Teſtimonium illius, qui vitam Godefridi Ambianenſis Epiſcopi ſcripſit.*

HIc auctor lib. 3. vitæ beati Godefridi cap. 8. hæc habet: *Guigo ei cellulam attribuit, ſeparatim enim degunt, ſinguli in domicilis, quæ cellas vocant. Ad Eccleſiam certis horis pariter conueniunt. Inde taciti redeunt ad cellas ſuas. ad nudam carnem aſperis induuntur ciliciis, quarta & ſexta feria pane & aqua victitant, diuinæ contemplationi adeò inhærent, vt iure poſſint dicere cum Apoſtolo, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, illorúm-*

Digitized by Google

que precibus, & ſanctorum meritis mundus coruſcare videtur. Quamquam hic auctor antiquus eſt & Godefridi æqualis, & Cartuſienſium rerum meminit, apud illum tamen rata non eſt de Doctore Pariſienſi narratio, quam apud antiquos omnes ratam eſſe Raynaudus affirmat. Didaſcalus verò diceret, haud ab illo fuiſſe obſeruatam, quia omnibus nota erat.

VII. *Teſtimonium Iacobi de Vitriaco Cardinalis.*

IACOBVS DE VITRIACO Cardinalis mores & inſtituta Cartuſienſium ſic deſcribit cap. 18. hiſtoriæ Occidentalis: *Eſt alia,* inquit, *ſanctorum congregatio, quos Cartuſienſes appellant in vltimis Burgundiæ partibus, caput & principium habentes. Hi ſiquidem non plures, quàm duodecim, ſub vno Priore, qui decimus tertius eſt, pariter inhabitant. Habent autem ſinguli cellas ſingulas, à quibus nunquam exire licet, niſi ad officium Miſſæ, & ad Matutinas, excepto quòd in feſtis duodecim Lectionum, ſimul in refectorio manducant, & ad collationem diuiníque verbi prædicationem congregantur. Aliis autem diebus in cellis ſuis ſoli manducant, pulmenta ſua decoquentes, & ſibi præparantes. Tribus autem diebus in hebdomada ſecundùm communem regulæ ſuæ inſtitutionem pane & aqua tantùm veſcuntur. Ciliciis diebus ac noctibus veſtiuntur. Extra terminos præfixos nullam licet eis recipere poſ-*

ſeſſionem, nec vmquam metas ſibi conſtitutas transgrediendo tranſeunt, exceptis monaſteriorum Prioribus, quando ad Capitulum generale ſemel in anno Cartuſij conueniunt, vel quando pro neceſſitatibus domus aliquando exire compelluntur. Habent autem certum animalium numerum, & certas metas poſſeſſionum, quibus mediocriter auſteram vitam valeant ſuſtentare. In modo autem & vſu ciborum à Ciſtercienſibus non diſcrepant. Siquis eis aliquid abſtulerit, vel alio modo iniuriatus fuerit, nullam contra ipſum in iudicio cauſam mouent. Vnde nec proximos ſibi licèt inimicantes ſcandalizant, nec aduocatis ad lites & iurgia indigent, nec curias ſæculares in detrimentum animæ ſuæ eos oportet adire. & poſt alia: *Huius autem religionis rigor diſtrictionis & diſtrictio rigoris tamquam fornax Spiritus ſancti aurum purgans & ſcoriam ex argento ſeparans falſos fratres diu retinere non poteſt. Non ſolùm enim inimicos crucis Chriſti, quorum deus venter eſt, qui in aliis Congregationibus aliquanto tempore valent ſubſiſtere, & eorum obſeruantias in angaria portare, arida cella & aſpera conuerſatio citò euomit, ſed quoſcumque alios, qui in veritate non ambulant, regulæ ſeueritas tamquam paleam citiùs exſufflat & abiicit, neque inter ſanctos fratres velut inter paradiſi arbores abſcondi, ſeu latere longo tempore poſſunt. Quemdam autem ex his fratribus vidimus, qui cùm die quadam ante debitam refectionis horam ſupra modum in cellula eſuriens, vix horas diei conſuetas præ nimia anxietate dicere valeret,* vi-

vidit Satanam in ſpecie mulieris pulcherrimæ introgreſſum, pulmentum, quod ad focum frater poſuerat, cum nimia feſtinatione præparantem. accedens enim tentator, qui famem penè intolerabilem immiſerat, ignem ſufflabat, ligna fortiter accendebat, &c. Hæc ille, qui Cartuſienſium opinor initia & originem apprimè nouit, quíque prætermiſit eam de Doctore narrationem, quæ ſi Raynaudo credas, apud antiquos omnes rata fuit. Non ſcriptis forſan, inquiet, ſed traditione rata fuit. Sed iſtud ariolari eſt. Quod enim his in rebus traditio docet, nec eruditio ignorat, néc pietas prætermittit. quis quæſo dicet, vel eruditionem Iacobo Vitriacenſi defuiſſe, qui & Pariſienſi magiſterio, & inſignium librorum editione claruit, vel pietatem ei, qui ex Argentolij parocho propter eximiam virtutem Cardinalis factus eſt, & per Orientem Legatus Apoſtolicæ Sedis? In ſumma nemo vnquam ſibi perſuadebit, pio & erudito ſcriptori, qualis fuit noſter Iacobus, id prodigij genus excidiſſe, quod & Cartuſianis, quorum res tam diligenter perſequitur, initium dediſſet, & ad terrefaciendos hominum animos tantoperè valeret. ſed excidere non potuit, quod non contigit, nec contigiſſe vllus ante Iacobum Vitriacenſem meminit.

Digitized by Google

VIII. *Teſtimonium Sigeberti Gemblacenſis monachi.*

IN Chronographia Sigeberti ad annum. 1084. de Brunone hæc reperiuntur: *Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia literis apprimè eruditus Remenſis Eccleſiæ Canonicus & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundat, propoſitúmque monaſticæ conuerſationis ſatis arduum inſtituit: Huius ſancti propoſiti cooperator & æmulator beatæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus ab eodem Brunone habitum monachicum ſumpſit, cunctiſque ibi habitantibus inſigne præbuit exemplum.* Hæc ex editione Piſtorij, quæ in editione Miræi deſunt. Miræus tamen in editione ſua vnum Sigeberti manuſcriptum codicem è Bibliotheca Iuſti Lipſij citat, in quo hæc erant de Brunone: *In vaſta eremo quæ Cartuſia dicitur, apud Gratianopolim monaſterium & cellas ædificare incipit.* Hæc omnia lectorem celare nolui, ne ſibi fucum ex Sigeberto fieri queratur. Sed ſiue Lipſij codicem, ſiue Piſtorij editionem ſequamur, inde conſtabit ſemper, apud antiquos omnes ratam non eſſe de Doctore narrationem, niſi Raynaudus in ſe recipiat, veterem non eſſe Sigebertum, aut veteres non eſſe eos, qui quæ de Brunone retulimus, Sigeberti Chronico inſeruerunt. Ceterùm quod de varia Sigeberti editione nunc obſeruauimus, in cauſa eſt, cur Sigebertum extra ſeriem temporis, quo vixit ſcripſítque locauerimus.

Digitized by Google

IX. *Teſtimonium Roberti de Monte Sigeberti Continuatoris.*

HIc auctor Cartuſienſium monachorum ad annum 1131. meminit his verbis: *Monachi Cartuſienſes paulatim pullulabant, qui præ ceteris continentes peſti auaritiæ, quæ plurimos ſub religionis habitu laborare videmus, terminos poſuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, poſſeſſionum, quem eis prætergredi nullo modo liceat, ſtatuerunt, & ipſi ſingulas ſinguli cellulas habentes, ac rarò niſi vel ob Dei cultum, vel ob mutuum in caritate ſolatium conuenientes, perfectiùs mori mundo, & ceteris tantò diligentiùs, quantò ſecretiùs viuere Deo elegerunt.* Idem ad ann. 1132. *Obiit vir ſanctus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, cuius religioſam admodum vitam conſcripſit Guigo Prior Cartuſiæ.* Multa de Cartuſianorum Ordine & conſuetudinibus differit, nec vllum tamen damnato Doctori teſtimonium præbet, adeo rata non eſt apud antiquos omnes de eo Doctore narratio.

X. *Teſtimonium Roberti de Chorçeon Apoſtolicæ Sedis in Gallia Legati.*

ROBERTVS iſte, qui ex Theologo Pariſienſi factus eſt Apoſtolicæ Sedis in Gallia Legatus, res Cartuſienſium ſic attingit in ſumma MS. quæſt. 8. de Simonia cap. 17. *In Cartuſienſi Eccleſia non poſſunt eſſe niſi tredecim*

monachi, ſicut inſtitutum eſt in illorum Ordine: ſed de facto ibi accidit, quòd quidam illorum credebatur eſſe mortuus, & ſuperuenit alius, qui ſubſtitutus eſt in locum illius; tandem ille, qui credebatur eſſe mortuus, rediit petens locum cellulæ ſuæ. Hîc ne gry quidem de Doctore illo, qui funebres inter exequias iuſto ſe Dei iudicio condemnatum maxima ter voce exclamarit. & tamen auctor iſte, qui Cartuſienſium rerum ita meminit, inter antiquos numerandus eſt, cùm Innocentio III. Pontifice vixerit. Neque verò de aliis, qui Cartuſienſium negotia haud tractarunt, Cartuſienſium origo quærenda eſt, & maximè prodigium illud, quod illorum originis cauſam Raynaudus facit, niſi forſan apud eos omnes, qui nullam Cartuſianorum mentionem fecerunt, de Cartuſianorum primordiis & de Brunone rata eſſe voluerimus, quæcumque voluerimus, & ea de re traditioni veterum tribuere vel negare placuerit, quæcumque nobis placuerit.

XI. *Teſtimonium Monachi Autiſſiodorenſis.*

MONACHVS Autiſſiodorenſis Roberti de Chorçeon æqualis fuit, & Cartuſianorum initia ſic executus eſt in Chronico ad annum 1081. *Circa id tempus S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus vidit per ſomnium in ſolitudine Cartuſiæ Deum ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem, ſtellas etiam ſeptem ducatum ſibi præſtantes itineris. Et ecce ſanctitatis eius odore*

Digitized by Google

tracti ad ipſum veniunt ſeptem viri, qui omnes vno deſiderio ſuccenſi locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, necdum repererant. Horum primus magiſter Bruno, vir religione ſcientiáque famoſiſſimus, alij quatuor literati, duo laici, quos ſanctus Hugo gratanter ſuſcepit, & voti compotes fecit. ipſo namque iuuante, conſulente, comitante, Cartuſiæ ſolitudinem intrauerunt atque extruxerunt. Sic cœpit Ordo Cartuſienſis, inter ceteros Ordines puritate mentium ac theoriæ ſtudio ſingularis. Non magis apud hunc, quàm apud alios rata eſt de Doctore narratio, & terribilis euentus, qui Brunonem in eremum abegerit. Neque profectò horribilem illius Doctoris anaſtaſim præteriiſſet monachus ille, qui paſſim memorat incertos rerum exitus, & in pleriſque hominibus ancipitem vitæ fortunam, ſpectra, & id genus prodigiorum.

XII. *Teſtimonium cuiuſdam ſcriptoris, nomine Adami.*

ADAMVS neſcio quis auctor in floribus MMSS. hiſtoriarum, quos Gregorio Nono Pontifici dicauit, Cartuſianæ religionis originem ſic tradit: *Anno Henrici 28. Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia, literis eruditus, Remenſis Eccleſiæ Canonicus, & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundauit, propoſitúmque monaſticæ conuerſionis arduum inſtituit. Huius ſancti propoſiti cooperator exiſtens Hugo Gratianopolitanus Epiſco-*

Digitized by Google

pus ab eodem Brunone habitum monachicum ſumpſit, cunctiſque ibi habitantibus inſigne exemplum dedit. Hic auctor excerptos ex variis hiſtoricis flores vnum in corpus compegit, & in iis nihil prorſus habet de Doctore, cuius narratio apud antiquos omnes rata eſſe traditur. At contrà fixum, ratúmque eſſe debet imprimis ad annum 1230. quo hic auctor vixit, eam de Doctoris anaſtaſi narrationem, nullum apud antiquos habere ſuî teſtimonium, deinde nondum eſſe in viuis, qui tam inane commentum excogitarit. Non negat, inquit Didaſcalus noſter: immo neque negare poteſt, quo ille modo negari vellet. Vt enim aliquid Didaſcali modo & ſenſu negaretur, id iam ab aliis traditum, ſcriptúmve oporteret. Hoc autem terribile ſpectaculum ante iſtud tempus à quoquam traditum ſcriptúmve negamus. Neque ſibi gratuletur de Cæſario Ciſtercienſi, qui quæ de diuitis cuiuſdam ac nobilis clerici damnatione memorat, ad Cartuſienſium originem neutiquam refert. Sed hæc Cæſarij narratio ſuo poſtea loco diſcutietur.

XIII. *Teſtimonium Vincentij Bellouacenſis.*

VINCENTIVS BELLOVACENSIS pluribus de cauſis dignus eſt, qui nunc videatur in Speculo hiſtoriali lib. 26. cap. 82. *Bruno*, inquit, *natione Teutonicus ex vrbe Colonia, literis apprimè eruditus, Remenſis Eccleſiæ Canonicus & ſcholarum magiſter, relicto*

Digitized by Google

ſæculo eremum Cartuſiæ fundat, propoſitúmque monaſticæ conuerſionis ſatis arduum inſtituit. Idem lib. 28. cap. 8. *Anno*, inquit, *Domini 1132. obiit vir ſanctus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, cuius religioſam admodum vitam conſcripſit Guigo Cartuſiæ Prior.* & poſt alia: *Hic vt legitur in ſolitudine Cartuſiæ Dominum ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem vidit per ſomnium, ſtelláſque ſeptem ſibi præſtantes itineris ducatum. & ecce ſanctitatis eius odore tracti ad eum veniunt ſeptem viri, qui omnes vno deſiderio incenſi locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, necdúmque repererant. Horum primus fuit magiſter Bruno, vir religione ſcientiáque famoſiſſimus, alij quatuor literati, duo laïci, quos ſanctus Hugo gratanter ſuſcepit, & voti compotes fecit. Ipſo namque conſulente, iuuante, comitante Cartuſiæ ſolitudinem intrauerunt, atque extruxerunt. Sic cœpit Ordo Cartuſienſis puritate mentium, & ſtudio theoriæ ſingularis.* Quod ſæpiùs hoc in auctore reprehenditur, nullus ſcilicet, vel certè exiguus rerum ſcribendarum delectus, id noſtram defenſionem plurimùm iuuat. Cùm enim quælibet ab aliis ſcripta, dicta, vel incerto venditata rumore in ſuos iaciat commentarios, ſi Cartuſianorũ Ordo id habuiſſet initij, quod oſtentant Raynaudus & Didaſcalus noſter, quin obſeruatum fuiſſet à Vincentio, neminem dubitaturum opinor. Deinde cùm Vincentius Lutetiæ & in aliis viciniorībus locis diu multúmque degerit, illi non potuiſſet non occurrere ea de Doctoris anaſtaſi narratio,

quam apud antiquos omnes ratam eſſe Raynaudus, & omnibus notam Didaſcalus contendunt. At ſi occurriſſet tam prodigioſus euentus, eum non traditioni, ſed ſcriptis mandaſſet. Tũ demùm vſque adeò cupidus eſt relator hiſtoriarum eiuſmodi, quæ vel exemplum præbent, vel pietatis alicuius ſpeciem præ ſe ferunt, vt vix ac ne vix quidem omiſiſſet eam de triplici Doctoris reſurrectione narrationem, quæ aliàs ſuo tempore edita fingeretur.

Ex his autem omnibus colligitur, non modò non ratam eſſe apud antiquos omnes de eo Doctore narrationem, ſed etiam purum putúmque eſſe commentum, quod poſt Vincentij ætatem è tenebris emerſit.

XIV. *Teſtimonium Humberti Burgundi Quinti Prædicatorum Generalis Magiſtri.*

CARTVSIENSIVM initia & conſuetudines latè perſequitur hic Auctor ſermone 24. ad Cartuſienſes. *Cartuſienſes*, inquit, *traxerunt hoc nomen à prima domo Ordinis illius, quæ ſita eſt iuxta parochiam quandam, quæ vocatur Cartuſia.* & poſt pauca: *Habent multa, in quibus differunt & præcellunt multas alias religiones. Primum eſt in duplicitate religionis. Cùm enim ſint duo genera ſecundùm beatum Benedictum religioſorum, ſcilicet Anachoretæ ſiue ſolitarij, & cœnobitæ, qui ſcilicet viuunt in congregatione ſub obedientia. Iſti ha-*

bent vtrumque, habent enim cellas ſinguli, in quibus ducunt vitam ſolitariam pro tempore. Habent enim certis temporibus conuenire inuicem in Eccleſia, in refectorio, & ad colloquia & huiuſmodi, & ſub obedientia vnius Prælati viuentes. & ideò rectè ſignificantur per columbas, quæ morantur modò ſolitariè in foraminibus, modò cum aliis congregantur. & poſt pauca: *Secundum eſt in vitæ auſteritate, & quoad vitam, qua in nullo caſu vtuntur carnibus. In ſeptimana ieiunant regulariter in pane & aqua ſecundùm primum rigorem Ordinis, & quoad veſtimentum, quia ſemper gerunt cilicium ad carnem, & rudibus panno & calceamentis vtuntur, & quoad vigilias, quas habent longas, nec reuertuntur ad lectum poſt Matutinas. quia verò ſiunt apud eos aliquæ diſpenſationes vel relaxationes aliquando circa iſtorum aliqua, nunc admonendi ſunt ne fiant paſſim.* & poſt pauca: *Tertium eſt in rigore diſciplinæ. pro minoribus enim exceſſibus, quàm alij religioſi, expellunt de Ordine ſuo delinquentes, & eiectos, vel egredientes, vix vnquam ſine magna difficultate recipiunt. Verùm ſuper hoc monendi ſunt, quòd melius eſt, reddere rationem de miſericordia, quàm de nimia iuſtitia: & exercendus eſt ſic rigor diſciplinæ, vt tamen miſericordia ſemper temperetur. Quartum eſt in terminis poſſeſſionum, vt finis poneretur cupiditati, ordinatum eſt apud iſtos, quòd omnis domus habeat terminos, vltra quos non liceat eis aliquid habere. Sed quia ſunt aliqui, qui paulatim per quaſdam diſpenſationes antiquos terminos*

Digitized by Google

ſunt tranſgreſſi , oſtendendum eſt eis , quomodo ex hoc creſcentibus terminis Ordo decreuit. & poſt pauca : *Quintum eſt in exteriori curſu per mundum. Prior enim Cartuſiæ non egreditur terminos ſuos , nec alij Priores terminos ſuos ſine eius licentia , quæ vix obtinetur. Monachi verò nunquam niſi pro Ordinibus , vel pro Prioratu , immo nec propriam domum adeunt vicini , niſi valdè raro & diſpenſatiuè, immo nec cellam propriam egrediuntur , niſi certis in caſibus : ſed quia iſtud nimis relaxauerunt , maximè Priores in confuſionem & vilipenſionem Ordinis ſui , exhortandi ſunt ad cauendum huiuſmodi diſcurſum.* & poſt pauca : *Septimum in ſancta ſimplicitate. Non enim habent aliquam regulam , ſed ſolùm conſtitutiones ſeu conſuetudines , nec caput vnum , nec eſt vna domus ſub alia , ſed ſolùm conformes & conuenientes. Priores illius Ordinis ad capitulum in prima domo certo tempore ordinare ſolent in ſancta ſimplicitate. quod bonum videbatur aliquibus propter quod quidam moderni aſtutiores , & viribus innitentes turbauerunt pacem antiquam , quaſdam nouitates volentes inducere , quas alij recipere noluerunt.* & poſt pauca : *Octauum eſt in numero rerum. Habent enim monachos & conuerſos & reditus in certo numero , & aliquando quædam nunquam habent , vt porcos , quædam non habent in certo numero. Nam ſunt aliqui , qui licèt nunquam adaugeant numerum perſonarum , adauxerunt tamen per quaſdam diſpenſationes & ſpecies & numerum animalium , in minorationem religionis & virtutum.* Hæc ille ad annum

1264. apud quem rata non eſt illa de portentoſa Doctoris anaſtaſi narratio, quæ apud antiquos omnes rata venditatur. Siquis tamen ingenium Humberti conſideret, eum eſſe, qui contra memoratæ narrationis auctores validiſſimè præſcribat, nullo negotio iudicabit. Perlectis igitur ſermonibus, quos de quibuſcuis rerum generibus ad quoduis hominum genus edidit, huius rei iudicem nullum recuſo, niſi qui fidem cum fronte amiſerit. vt D. Polycarpus, qui hunc auctorem pro ſua ſententia laudauit.

XV. *Teſtimonium Ioannis Fraſqueti monachi S. Germani Autiſiodorenſis.*

IOANNES FRASQVETVS monachus ſancti Germani Autiſiodorenſis Cartuſienſium originem ſic exequitur in Chronico: *Sanctus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus in Galliis per annos 52. virtutum exemplis incomparabiliter floruit. Non multò pòſt idem ſanctus Hugo vidit per ſomnium in ſolitudinem Cartuſiæ Dominum ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem, ſtellas etiam ſeptem ducatum ſibi præſtantes itineris. & ecce ſanctitatis odore tracti ad ipſum venerunt ſeptem viri, qui omnes vno deſiderio ſuccenſi locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, necdúmque repererant. Horum primus magiſter Bruno vir religione ſcientiáque famoſiſſimus, alij quatuor literati, duóque laïci, quos ſanctus Hugo gratanter ſuſcepit, & voti compotes fecit. Ipſo namque conſu-*

lente, iuuante, comitante Cartuſiæ ſolitudinem intrauerunt, atque extruxerunt. Sic cœpit Ordo Cartuſienſis inter ceteros Ordines puritate mentium, ac theoriæ ſtudio ſingularis. Cœpit autem anno Domini 1086. Hæc ille in manuſcripto codice, cuius nobis copiam fecit vir doctiſſimus Philippus Labbeus S. I. Theologus. Sed qui ad annum 1260. ſcripſit, ſi veteris auctoris nomen meretur, certiſſimum eſt, apud antiquos omnes rata non eſſe, quæ de Doctore Pariſienſi narrantur. Quinetiam ille confirmat vim abnutiuæ rationis, qua confictam de hoc damnato Doctore narrationem ad inferiora ſæcula deprimimus.

XVI. *Teſtimonium Guillelmi Nangiaci.*

GVILLELMVS DE NANGIS ſancti Dionyſij in Francia monachus hæc habet in Chronico MS. de Ordine & origine Cartuſianorum ad annum 1132. *Obiit vir ſanctus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, cuius religioſam admodum vitam conſcripſit Guigo Cartuſiæ Prior.* & paulò pòſt: *Cum his* (Ordinibus) *etiam monachi Cartuſienſes, & ipſi paulatim per Gallias maximè pullulabant. Qui præ ceteris continentes peſti auaritiæ, qua plurimos ſub religionis habitu laborare videmus, terminos poſuerunt, dum certum numerum poſſeſſionum & animalium, quem eis prætergredi nullo modo liceat, ſtatuerunt, & ipſi ſingulas ſinguli cellas habentes paruulas, rarò niſi ob Dei cultum, vel ob mutuum in caritate ſolatium ſi-*

Digitized by Google

mul conuenientes, perfectiùs mori mundo & ceteris tanto diligentiùs, quantò ſecretiùs Deo viuere elegerant. Hic ſcriptor cùm antiquus ſit, rata non eſt apud antiquos omnes ea de horribili Doctoris reſurrectione narratio, quæ Brunoni inſtituendæ religionis ſuæ cauſam dedit, vt ingeniorum fortium triumphator illuſtris ſcripſit. Scilicet præ nimia loci diſtantia, quæ Lutetiam inter & ſancti Dionyſij monaſterium intercedit, illius hiſtoriæ, quæ apud antiquos omnes rata erat, rumor nondum ad aures Nangiaci peruenerat. qua ratione à tanti prodigij ſilentio purgabitur, niſi forſan Didaſcalus noſter pro animi ſagacitate velit, Nangiacum de induſtria id omiſiſſe, *quod longè latéque poſitum erat, omnibúſque notum*, & id ſcripſiſſe, quód à maioribus nondum memoriæ proditum legebatur, vti fidem faciunt ampliſſimam, quæ iam ex diuerſis auctoribus cumulatè recenſuimus.

XVII. *Teſtimonium Ioannis de ſancto Victore.*

VLTIMVS nobis erit Ioannes de ſancto Victore, qui in Memoriali MS. hiſtoriarum hæc tradit ad annum 1322. quo finem ſcribendi fecit: *Eodem anno (1081.) Ordo Cartuſienſis cœpit hoc modo, ſanctus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus in Galliis per annos 52. virtutum exemplis incomparabilibus floruit. Ipſe ſemel vidit per ſomnium Dominum in ſolitudine Cartuſiæ ſua dignationi conſtituentem ha-*

Digitized by Google

bitaculum. ſtellas etiam ſeptem ſibi præſtantes itineris ducatum. & ecce viri ſeptem venerunt ad eum. qui omnes vno deſiderio accenſi locum eremiticæ vitæ congruum quærebant, necdúmque repererant. Horum magiſter erat Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia oriundus, Remenſis Eccleſiæ Canonicus & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo Cartuſiæ monaſterium fundauit, propoſitúmque monaſticæ conuerſationis ſatis arduum inſtituit. Huius ſancti propoſiti cooperator exiſtens ſanctus Hugo ab eodem Brunone habitum monachicum ſumpſit, cunctíſque ibi habitantibus inſigne exemplum præbuit. Sícque Ordo ille puritate mentium, & theoriæ ſtudio cœpit augeri. Idem ad annum 1131. *Monachi quoque Cartuſienſes paulatim pullulabant, qui præ ceteris continentes eſſe ſtudebant, & contra auaritiam certum numerum hominum, animalium & poſſeſſionum, quem eis nullo modo liceret prætergredi, ſtatuerunt. Ipsíque ſinguli ſingulas habentes cellas mori mundo meliùs & perfectiùs, quàm viuere diligentiùs ceteris elegerunt.*

Idem ad annum 1132. *Hoc anno obiit Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, cuius auxilio Ordo Cartuſienſis inceperat, qui, vt dicit Guido, cùm eſſet multis virtutibus adornatus, & Eccleſiæ Dei multùm proficuus, ſemper tamen in perfectionem ſuam cogitans, epiſcopalem ſarcinam omnino exuere, & animæ quieti quaſi vacare optabat, & hoc deſiderio ab initio ſuæ promotionis non caruit vſque ad mortem. Nam à Papa Honorio & poſtea ab Innocentio petiit, etiam cum lacrymis dari ſenectuti ſuæ licentiam quieſcen-*

di, ſed non potuit impetrare. Credebatur enim, quòd ſola auctoritate & exemplo plus poſſet plebi proficere debilis & ægrotus, quàm quilibet alius robuſtus & ſanus. Obiit ergo Calendis Aprilis anno vitæ 80. conſecrationis 52. His tribus in locis Ioãnes Victorinus multa de Cartuſianorum primordiis & moribus ſcribit, ſed de Doctore vel Canonico Pariſienſi, qui publicas inter exequias damnatum ſe eſſe maxima ter voce pronuntiarit, nihil ſcribit, quia ex maiorum libris, atque ex omni retro traditione de tali prodigio nihil habuit, quod ſcriberet. Non potuit ergo hiſtoriæ leges non negligere, qui ratam illam eſſe apud antiquos omnes de eo Doctore narrationem intrepidè affirmauit, vel qui pridem omnibus notam eſſe nuper in Epiſtola Didaſcalica docuit.

Qua autem ratione hunc auctorem excipient Raynaudus & Didaſcalus, non video. Si magnam illius à Lutetia, vbi prodigium contigiſſe volunt, diſtantiam obiiciant, ad vrbem in cœnobio ſancti Victoris floruit: ſi querantur indiligentiam, ſola eorum, quæ deſcripſimus, lectione refellentur. Si in obſeruandis tantùm iis, quæ ceteri ſcriptores omiſerant, ſtudium appellent, contemnentur. Siquidem omiſerunt alij pauca ex iis, quæ obſeruauit. Enimuerò in iis, quæ omiſerunt, & quæ ille obſeruauit, ſuam prodit diligentiam, atque ita prodit, vt nemo iure dubitet, quin prodigium illud, quod ab otioſis hominibus in cauſam inſtitutionis Cartuſienſium poſtea inuectum eſt, ſi contigiſſet reipſa, diligenter

adnotaſſet: ſi denique affectatum ſilentium proponant, quo hiſtoricus Doctorum vel Canonicorum nationi ac famæ cõſultum voluerit, id tanquam gratis & ſine ratione dictum habebitur. & hæc coniectura, cuicuimodi ſit, alia fortiori coniectura repelletur. Nam religioſi homines, qualis fuit Ioannes Victorinus, æmula quadam ratione tacere non ſolent, quæ vel ad laudandum eorum, qui ſeſe in monaſteria receperunt, ſtatum, vel ad accuſandam aliorum, qui viuunt in ſæculo conditionem facere videntur: vt ceteris in rebus accurati non ſint, in hoc tamen vno omnes induſtriæ ſuæ neruos contendunt. Quo fit, vt hiſtoricus noſter grande nefas crederet à ſe admitti, ſi quando taceret id in ſæculari Doctore aut Canonico accidiſſe prodigium, quod tam egregio Religioſorum Ordini cauſam & initium dediſſet. Si verò taceret, quia neſciit, certè falſum eſſet, narrationem de damnato Doctore vel Canonico, *apud antiquos omnes ratam eſſe*, aut *longè latéque poſitam, omnibúſque notam*, quemadmodum Raynaudus & Didaſcalicus auctor affirmant.

Concluſio Capitis primi.

EX his igitur omnibus, quæ productis in medium tot ſcriptorum teſtimoniis hucuſque diſſeruimus, non immeritò concludimus quæ ſequuntur.

Primum eſt, Romani Breuiarij correctores in iis, quæ è ſancti Brunonis Lectionibus expun-

Digitized by Google

punxerunt, apprimè ſecutos eſſe Eccleſiæ canones, quibus ſancitur, vt quicquid à veritate alienum in ſacrorum Officiorum codices irrepſit, tollatur.

Secundum, quòd Bruno Pariſienſis Theologus fuerit, ſcholáſque Lutetiæ aliquando rexerit, poſſe adhuc ex nocturnis illius vigiliis tolli, non ſolùm quia veterum auctorum nemo Brunonem magiſtrum Pariſienſem fecerit, vel ſcholas Lutetiæ rexiſſe dixerit, vti vidimus, ſed etiam, quia ante Brunonis ætatem ſtatum fuiſſe Pariſiis Theologiæ ſtudium, atque ibi magiſterium in Theologia dari ſolitum vix probaretur. Hîc fabulas mitto, quas de quatuor Bedæ diſcipulis Alcuino, Ioanne Scoto, Rabano, & Claudio Pariſienſem Academiam inſtituentibus obſcuri homines ſumma rerum ignoratione inuexerunt. Qua de re eruditè ſcribit Stephanus Paſchaſius lib. 3. Diſquiſitionum Francicarum cap. 21.

Tertium, à Theophilo Raynaudo perperam aſſertum, eam de triplici Doctoris anaſtaſi narrationem, quæ Brunonem in eremum exegerit, apud *antiquos omnes* ratam eſſe, deinde falsò quoque additum, *quod ſilentium Petri Cluniacenſis de prodigioſa Doctoris anaſtaſi, & inde impulſo ad ſolitudinem Brunone ſupplent auctores perantiqui, & illius plerique temporis; quo res geſta proditur.* Siquidem planum fecimus, Petrum Cluniacenſem in iis rerum & temporum conditionibus ſcripſiſſe, vt ex eius ſilentio æquipollens affirmationi ratio ducatur: deinde nullos eſſe Brunonis vel

E

Petri Cluniacenſis æquales, ſupparéſve auctores, qui huic de Doctoris anaſtaſi hiſtoriæ patrocinentur. Quinetiam vnicus Guibertus Abbas de Nouigento productus id habet, quod & ſumptum ex ſilentio Petri Cluniacenſis argumentum ſolidè confirmat, & omnem inſtitutæ Cartuſienſium religionis cauſam dilucidè exponit.

Quartum, Didaſcalicum ſcriptorem non ſatis accuratè perpendiſſe, vel certè diſſimulaſſe ſingula momenta Epiſtolæ, quam ex Apulia Bruno ad Radulphum Remenſem Præpoſitum miſit: deinde inaniter auguratum eſſe, in prioribus, quæ non extant, ad eundem Radulphum epiſtolis Brunonem meminiſſe terribilis ſpectaculi, quo ad ſolitudinem impulſus fuerat: Tum ex manifeſta principij petitione, quod eſt grande in diſſerendo peccatum, dixiſſe, eam ob rem prætermiſſum eſſe à Guiberto Abbate ſpectaculum illud, quòd iam perſpectum omnibus atque animaduerſum foret. cùm iſtud, quod erat in quæſtione, nondum probaſſet: Deinde non minùs aberraſſe cùm docuit Petrum Venerabilem ideo ſpectaculum memoratum non recenſuiſſe, quòd ea tantùm miracula, quæ ſuo tempore contigerant, recenſere ſtatuiſſet. quaſi Petrus ipſe conceptis verbis non affirmaret, Cartuſienſium Ordinem fuiſſe ſua ætate inſtitutum: Poſtremò, vt hæc vacua rationibus meditamenta ſuſtentet, eos adhibuiſſe communes locos, quibus Robertum Moliſmenſem, Norbertum & pleroſque alios eodem vel pari cum

Brunone ſpectaculo impulſos fuiſſe ad Ordinum ſuorum inſtitutionem propugnabis. Vtrum autem hæc diſputandi ratio legitima ſit, aliorum iudicio permittimus.

Quintum, inter aduerſarios noſtros Raynaudum & Didaſcalum id diſcriminis intercedere, quòd Raynaudus ab optimis aſſerendæ veritatis hiſtoricæ legibus non recedat, Didaſcalus verò planè recedat. Raynaudus tamen hiſtoricam veritatem non aſſeruit, quia quos terribilis ſpectaculi idoneos teſtes habere ſe credidit, non habet. *Silentium*, inquit, *Petri Cluniacenſis de prodigioſa Doctoris anaſtaſi, & inde impulſo in ſolitudinem Brunone ſupplent ſcriptores perantiqui, & illius plerique temporis, quo res geſta proditur.* Sed in his deceptus eſt, aut certè decipi voluit ab illo auctore, quem in Antemurali ſuo citat, vti poſtea videbimus.

Sextum, in hac Didaſcali methodo deprehendere fas eſt ἀκρισίαν iis communem omnibus, qui falſa pro veris, incerta pro certis defendunt. Hi enim ſeipſis occupati, non ſatagunt quid aptè probent atque idoneè, vel quid reipſa probari poſſit, ſed ſortiuntur tantùm, quid aduerſariis reſpondeant: non attendunt, quæ argumenta comparent ad aſſerendum verum, ſed cauent ſolùm, quid comparatis in id argumentis reponant, quid tergiuerſentur, quid ſophiſtica fuligine conuoluant. Verbo dicam, in nullas inueniendi aſſerendíque veri leges, quas antiquiores magiſtri tradiderint, inſpiciunt, ſed iis inſuper habitis

morbo, non iudicio ſcribunt. Verùm iſtud ſtudij ſcriptioniſque genus non raro auctoribus ſuis peſſimè ſuccedit. In primis nullam veritatem aſſerunt, vel aſſertam cordatis hominibus perſuadent: deinde quibus machinis ſtudent eludere id, quod alij optima differendi ratione aſſerunt, iis omninò ſubuertitur, quicquid ipſimet aſſerere conantur. Hoc palam loquitur vnicum, quod præ manibus exemplum habetur. Quod autem pari modo aſtruitur & deſtruitur, verum eſſe nequit. quoniam vt verum cum vero, ſic nec aſſerendi veri methodus vna cum altera pugnat.

Septimum, Didaſcalum in communem de auctoritate publici rumoris excurriſſe locum, quo ſuam ſententiam aduerſus præuiſa iacula præmuniret, & collectum vndequaque pulverem oculis lectorum offunderet. Intellexit quippe vir prudens, vulgarem conuerſionis ſancti Brunonis cauſam, pro qua dimicat, ſi reuocetur ad natales ſuos, tum demum reuocari ad publicum ſine auctore rumorem, quemadmodum proximo capite reuocabitur. Sed in hocce communi loco, quem antea retulimus pag. 19. nonnihil pace ſapientis viri dixerim, bonæ fidei deſideratur. Nam hæc verba *Rumoris publici auctoritas inſtar oraculi eſt*, quæ ex perfecto Ciceronis oratore citantur, tam non ſunt apud Ciceronem in hoc aut in aliis libris, quàm non ſunt apud Heſiodum in Theogonia, vel apud Lycophronem in Alexandra. Sic figmenta decet figmentis confirmari. Verùm Apollini noſtro reponimus id,

Digitized by Google

quod eſt apud eundem Ciceronem lib. 3. de Natura deorum, vbi Cotta Academicus, & Balbus Stoicus ita diſputantes inducuntur: *Tum Cotta. Rumoribus*, inquit, *mecum pugnas, Balbe, ego autem à te rationes requiro.* Quæ autem ex Iuris canonici gloſſis adferuntur, nihil admodum incommodant, cùm his ἀδεσπότοις rumoribus cetera deſint adminicula, quibus, vt par eſt, & pro grauitate rei fulciantur. Porrò Didaſcalum noſtrum remittimus ad Tertullianum, qui cap. 7. Apologetici famæ naturam deſcribit: *Fama*, inquit, *ne tunc quidem, cùm aliquid adfert veri, ſine mendacij vitio eſt, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. quid? quod ea illi conditio eſt, vt non, niſi cùm mentitur, perſeueret, & tandiu viuit, quandiu non probat. Fama nomen incerti, locum non habet, vbi certum eſt. An verò famæ credat, niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto.*

Octauum, vix vllum reperiri figmentum in hiſtoria, quod validiùs iuxtà & frequentiùs confutetur: validiùs quidem, ſi ſpectetur inſtructa tot ſcriptoribus acies, quæ in eam de horribili Doctoris ſpectaculo narrationem, & & quæſitum ex ea Cartuſianorum initium dirigitur: frequentiùs verò, ſi conſiderentur ex iis ſcriptoribus plures, qui ſeorſim eandem narrationem & narrationis appendicem euertunt.

Nonum & vltimum, poſt annos à condito Cartuſianorum Ordine, ducentos quadraginta & ampliùs, fictam eſſe illam de Doctoris vel

Digitized by Google

Canonici Pariſienſis anaſtaſi narrationem, quæ S. Brunonem in eremum impulerit. Hic eſt palus terminalis, quo hæc narratio defixa retinetur, hæc eſt temporis epocha, quæ nullum fabularum vindicibus tergiuerſandi locum relinquit. Sic enim de temporibus aſſerta veritas facilè deſtruit, quicquid opponi poteſt, cùm ex pluribus, tum ex hoc quoque, quòd veritati ſola poſſit falſitas opponi. Tunc autem maximè opponitur, cùm ei quod ab initio traditum eſt, aliud ſuperducitur, quemadmodum priſtinæ Cartuſienſiũ originis cauſæ ſuperductum oſtendimus, & multis adhuc oſtendemus. *In quantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum præcedat neceſſe eſt, veritas falſum*, vt ait Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 4. Vetus quidem eſt miraculum, quod Didaſcalus adducit ex Cæſario pagina 43. Epiſtolæ ſuæ ad Nihuſium, ſed illud non magis ad Cartuſienſium, quàm ad Ciſtercienſium, aut Præmonſtratenſium inſtitutionem ſpectat: Nec præterea quicquàm habet commune cum præcipuis conditionibus Pariſienſis ſpectaculi, quod cauſam conuerſionis ſancti Brunonis fuiſſe docet. Sed adductum ex Cæſario miraculum tertio capite referetur, & ampliùs examinabitur.

Digitized by Google

Capvt II.

Quæ veræ Cartuſienſium origini ſuperducta ſunt, recenſentur, & recenſita diſpunguntur. hinc pluribus figmentis epocha deſignatur.

ETsi verò quæ iam de prima Cartuſianorum origine & originis cauſa deduximus, ad aſſertionem veri ſatis ſupérque ſufficiunt, operæ tamen pretium viſum eſt recenſere, quæ alij poſtea ſuperduxerunt. Sic enim continget, vt quod aliàs non vna ratione verum exploratúmque eſſe conſtat, ſola etiam falſi recenſione magis ac magis cor roboretur.

I. *Gerſonis teſtimonium refertur & diſpungitur.*

PRimvs autem omnium, qui non ita pridem inuectum de triplici Doctoris anaſtaſi, & huius appendice narrationem literis mandarunt, Ioannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius occurrit. Hæc igitur habet notula 23. in tractatu de ſimplificatione cordis, quem, ni fallor, Lugduni poſt annum 1420. ſcripſit: *De timore*, inquit, *Domini conſtituamus ante meditationis noſtræ oculos exemplum illud celebre, à quo cœpiſſe dicitur Ordo Cartuſianorum. Mortuus eſt quidam magnæ repu-*

tationis magiſter apud ſcholaſticos, parantur exequiæ in templo, venit vox, Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum; dilata eſt ſepultura in diem alterum, tunc audita eſt vox, Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum; tertia die, in quam dilatio ſepulturæ iterum facta extitit, inſonuit vox, Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum. Ecce in his eſt poſitum coram meditantis oculis iudicij tremendi, accuſationis, iudicationis & condemnationis ſpectaculum. Hîc primùm Cancellarius auctorem non habet alium præter famam, quæ Tertulliano nomen incerti eſt. Sic enim ſcribit: *à quo cœpiſſe dicitur Ordo Cartuſianorum.* Deinde celebre vocat, & ita vocare potuit exemplum, quod aliquot abhinc annos inuectum paſſim iactabatur, ad animos opinor, hominum perterrefaciendos. Vnde accidit, vt hoc loco in piæ cuiuſdam meditationis argumentum proponatur. Sed vt apparet, de exempli veritate non multùm ſollicitus fuit Gerſon, atque vt eſſet, nihil admodum cauſæ habuit, immo prudenter vſurpauit exemplum, quod vulgo placebat, vt vulgus ipſum ad timorem Domini concitaret. Quid autem de illiuſmodi exemplis ſentiat Gerſon, docet ipſe in tractatu, quo quæ veritates credendæ ſint, his expendit verbis: *Demùm in ſexto gradu, qui quartus eſt modo dicto, collocantur veritates illæ, quæ tantummodò faciunt ad nutriendam, vel fouendam deuotionis religioſam pietatem, quæ magis inducuntur ad inflammandum affectum, quàm ad inſtruendum intellectum, vbi pietas deuota magis aſpicitur, quàm*

veritas certa, vbi hoc vnum reprobatur, ſi adeſſet aſſertionis temeritas, priuſquam elucidaretur alio modo per Eccleſiam vel rationem certam ipſa veritas. & poſt alia: *Reſpicit iſte gradus legendas & miraculum Sanctorum,* &c. *quæ Eccleſia legi permittit, non quòd determinet talia de neceſſitate ſalutis credenda eſſe, ſed quia proficiunt ad commouendos affectus pios fidelium, & in ædificationibus ipſorum, dum in talibus nihil de certitudine ſcitur eſſe falſum.* Quibus verbis manifeſtum eſt, Gerſonem in exemplum, quod celebre vocat, non altiùs inquiſiuiſſe: alioquin omiſiſſet id, quod omittendum eſſe ſuadet. Nam vera pietas exemplo, cuius falſitas explorata eſt, inædificari nequit, vt eo loci vir ille pius & eruditus agnoſcit, & rectiſſimè confirmat. Huius autem exempli, à quo Gerſoni Cartuſianorum Ordo cœpiſſe dicitur, falſitas deprehenſa eſt ab iis, qui Vrbano Pontifice Octauo Romanum Breuiarium emendarunt. Qua in re Cenſores nihil paſſos humani fuiſſe certis rationum momentis oſtendimus, vt eſt vnicum huiuſce diſſertationis argumentum. Quare Pariſienſis Cancellarius iam cederet huic veritati, quæ eo, quem præſtituit, modo illuſtrata eſt, & incertam de Doctore rediuiuo narrationem, quæ aliquando nonnihil placuit, omnino reprobaret.

II. *Sancti Antonini teſtimonium refertur & diſpungitur.*

SECVNDVS beatus Antoninus Florentiæ Archiepiſcopus 2. part. hiſt. tit. 15. cap. 22. veram Cartuſianorum originem ſic exhibet: *Anno Domini 1086. ſecundùm Vincentium in Speculo hiſt. lib. 26. cap. 82. qui hoc refert ex hiſtoria Sigeberti, habuit initium Cartuſienſium Ordo. Dicit enim Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia, literis à primæua ætate eruditus, Remenſis Eccleſiæ Canonicus & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundat, propoſitúmque monaſticæ conuerſationis ſatis arduum inſtituit. Huius ſacri propoſiti cooperator exiſtens beatæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus ab eodem Brunone habitum monaſticum ſumpſit, cunctíſque ibi habitantibus inſigne exemplum præbuit. De hoc Hugone ſic ſcribit Vincentius Spec. hiſt. lib. 28. cap. 8.*

Idem paulò pòſt aliorum inuentum ſic amplificat: *Habuit autem principium talis Religio ex hoc ſtupendo euentu, cùm in ciuitate Pariſius floreret ſtudium abundans tam multitudine ſcholarium ex variis regionibus, quàm copioſa caterua Doctorum ſolemnium in omni facultate. Inter ceteros vnus erat ſingularis, qui in eminentia ſcientiæ, & probitate vitæ & maxima famæ pollebat. Huic autem vita functo ſolemnes exequiæ paratæ ſunt in Eccleſia, vbi ſepulturæ erat tradendus, ad quem*

honorandum conuenerat magiſtrorum & ſtudentium Vniuerſitas Pariſienſis, & alij plurimi. Cùm ergo cadauer in feretro in Eccleſia, ſecundùm morem eſſet delatum, & officium celebraretur, ſurrexit, qui iacebat mortuus, & in loculo reſidens voce magna audientibus cunctis clamauit: Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum, quo dicto vt priùs iacuit. Ex qua voce omnes territi obſtupuerunt, decreuerúntque pro illa die non tradere illud ſepulturæ, ſed die ſequenti. Iterum omnes conuenêre, cúmque iſtud per ciuitatem diuulgatum eſſet, die ſequenti multò plures conuenerunt ad ſpectaculum illud. Officium autem peragentibus circa feretrum illius, iterum defunctus reſedit in lectulo clamans: Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum. Ex qua re conſternati ſunt omnes, qui aderant audientes, & vt exitum huius noſſent, ordinauerunt, vt ad ſequentem diem differretur ſepultura eius. Die ergo tertia tota penè ciuitas profluit, & in proſecutione Officij pro anima illius, ſurrexit, & iam tertiò Doctor ille defunctus clamauit dicens: Iuſto Dei iudicio damnatus ſum. quod omnes præ admiratione quaſi exanimes reddidit: Sícque patefacta omnibus ſua damnatione indignus iudicatus ſepultura Eccleſiaſtica, ſepultura aſini ſepultus eſt. Aderat ad hoc ſpectaculum Bruno, de quo in principio capituli dictum eſt, Magiſter ſolemnis ſcholarium, qui his viſis ait ad ſocios & diſcipulos: Ecce cariſſimi, tantus Doctor, & ſanctus ab omnibus reputatus periit, nunquid & nos perire volumus, & non potiùs ſaluari? Non eſt nobis lo-

cus ſalutis, niſi mundum fugiamus. Si in viridi ligno hoc factum eſt, in arido quid fiet? & multa alia eiuſmodi: ſicque compuncti, vt dictum eſt, ſæculum dimiſerunt.

In Antonino & modus ſcribendi, & res ipſa, quæ ſcribitur, tantiſper, ſi placet, attendantur. Modus quidem ſcribendi, quo priorem narrationis ſuæ partem, veterum auctoritate confirmat, poſteriorem verò nullius auctoritate confirmat. Etenim inſtituti Cartuſienſium Ordinis annum, Inſtitutoris nomen, patriam, & publicum in Eccleſia Remenſi munus referre ſe ex Vincentio, & Vincentium quoque illa omnia ex Sigeberto priùs retuliſſe teſtatur. Deinde rerum, quæ ad Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum pertinent, ſponſorem Vincentium appellat. Et rectè quidem, cùm ad annum 1450. quo Antoninus vixit, ſiquæ certa de rebus adeò antiquis traduntur, ex auctoribus æqualibus Brunonis, vel certè ſupparibus diſcenda ſunt. Sed in poſteriori narrationis ſuæ parte, quæ cauſam inſtituendæ Cartuſienſium ſectæ continet, ab hoc ſcribendi modo deficit: & cùm deficiat, omnem narrationi ſuæ abiudicat auctoritatem. Scitè enim Baronius prudentérque dixit: *quod de rebus adeò antiquis ſine vetuſtioris alicuius auctoritate profertur, contemnitur.* Et certè vt hæc tam ſtupendi euentus narratio contemnatur, ipſa quoque ſcribendi methodus facit. Nam quemadmodum in priori narrationis ſuæ parte Antoninus fidem meretur, quia idoneos habet auctores, quos ſequatur:

Digitized by Google

ſic contrà in poſteriori nulla fide dignus eſt, quia legitimis caret teſtibus, quibus quæ ſcribit, præſentibus ſcribat.

Quid autem fidei in pleriſque Antoninus mereatur, iampridem docuit Canus lib. 11. de locis Theologicis cap. 6. *De Vincentio*, inquit, *Bellouacenſi, & Diuo Antonino liberiùs iudico, quorum vterque non tam dedit operam, vt res veras certáſque deſcriberet, quàm ne nihil omnino præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuſlibet reperiretur. Ita ad hiſtoriam vnamquamque exiſtimandam, momentóque ſuo ponderandam non artificum ſtatera, ſed ne populari quidem trutina vſi ſunt. quamobrem boni lìcèt ac minimè fallaces viri, qui tamen nec auctores eos, à quibus ſuos exſcripsêre libros, diligenter examinarunt, nec res iuſtis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graues & ſeueros auctoritate carent.* Hæc ille, qui & eundem cum Antonino Dominicanorum Ordinem profeſſus eſt, & in Concilio Tridentino magna cum eruditionis laude Doctoris partes impleuit. Melchiori Cano Poſſeuinus accinit in Apparatu ſacro, accinunt & alij, & ij renuunt ſoli, qui Antoninum non legerunt.

Ceterùm Antoninus in hoc diſcrepát à Gerſone, quòd, quam inſtituendi Cartuſianorum Ordinis cauſam Gerſon vt incertam tradidit, eam Antoninus vt certiſſimam tradit. Deinde vt nunc omittam, quæ de teſtimonio Gerſonis diximus, Gerſon minùs peccauit, quàm Antoninus, cùm hic hiſtoricum agat, ille non

agat. Qui autem hiſtorici perſonam ſuſtinet, non vltra quàm certa & explorata literis conſignare debet.

Quòd ſi modò attendatur res ipſa, quæ ſcribitur, obſeruandum eſt imprimis, Antoninum rem à Gerſone traditam multis auxiſſe, quæ profectò ſunt commentitiis fabellis ſimillima, tum aliquid addidiſſe orationis, quam Bruno ad ſocios & diſcipulos eo habuit tempore, quo terribiliſſimum illud poſt hominum memoriam ſpectaculum palam omnibus exhiberetur. Sed totum hoc ſpectaculum & eius appendicem ſiue vt à Gerſone narratur, ſiue vt ab Antonino augetur, reiicimus; non ſolùm, quia deſtituitur patrocinio anteceſſorum, ſed etiam quia traditæ ab antiquioribus Cartuſianorum origini & originis cauſæ contradicit.

Hîc prætereo conſultò Dionyſium Cartuſianum in opuſculo de laudibus Cartuſianorum cap. 5. Ioannem Nauclerum generatione 37. Chronologiæ, & Hartmannum Schedelem ſexta ætate mundi, qui fermè nihil mutarunt in narratione Antonini, licèt aliquid in locutione mutarint, ſed quod rem ipſam non afficit. Atque hæc cauſa eſt, cur, quibus aduerſus Antoninum regulis præſcripſimus, iiſdem & contra Dionyſium, Nauclerum, & Schedelem nunc breuiter præſcribendum ducimus.

Digitized by Google

III. *Anonymi Scriptoris vitæ ſancti Brunonis teſtimonium refertur & diſpungitur.*

TERTIVS igitur excipiet Antoninum & eius exſcriptores auctor Vitæ Brunonis, quæ præfixa eſt illius in epiſtolas Pauli commentariis, qui anno 1508. apud Remboldum Lutetiæ prodierunt: *Solemni*, inquit ille, *apud Pariſios florente gymnaſio in Theologia præſertim & Iure Pontificio, & in omni denique doctrinarum genere, vt etiam nunc cernere eſt, tale circa annum ſalutis Chriſtianæ octogeſimum ſecundum ſupra milleſimum aut circiter, ſi Annalibus creditur, contigit prodigium. Cùm plures variis ex regionibus, qui ad ipſum celeberrimum Pariſienſe ſtudium confluxerant tum ſcholaſtici, tum Doctores clariſſimi literis ibidem operam darent, amore ſcientiæ facti exules: inter ceteros Doctor vnus præcipuus ſcientiæ claritate, vitæque probitate, vt putabatur, quem vniuerſus populus Pariſienſis colebat, & venerabatur, breniuſculo correptus morbo diem clauſit extremum. Cùm tota illa die, qua defunctus erat, vt mos eſt Pariſienſis, in aula funus feretro iam reconditum decumberet, pſallerént que religioſi & ſæculares defunctorum Officia: cùm ad illam (ſi qua narratis fides adhibenda ſit) Lectionem Reſponde mihi, deuentum eſſet, ſubitò cunctis ſtupentibus, qui mortuus videbatur & erat, erecto capite reſedit in loculo, & cunctis audientibus voce alta*

Digitized by Google

& horribili exclamauit: Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum. & hoc dicto, caput vt priùs reclinauit. qua voce cuncti territi obſtupuerunt, decreuerúntque funus ipſum in craſtinum reſeruare. Fama per vrbem vulgata, multo plures ad ſpectaculum manè ſequenti die conuenerunt, vigiliis defunctorum vſque ad præfatam Lectionem decantatis, cùm caneretur Reſponde mihi, defunctus ipſe, vt priùs, caput erexit, & doloroſa voce inſonuit: Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum. quo dicto longè maiori fuerunt aſſiſtentes ſtupore attoniti & inter ſe diſceptantes, quid ſibi vellent tam inſoliti defuncti clamores, vt exitum tam ſtupendæ rei ſcire poſſent, in aliud craſtinum ſepulturam diſtulerunt. Tertia die cùm ferè tota ciuitas propter huiuſmodi prodigia confluxiſſet, & ad ſæpedictam Lectionem inter pſallendum deueniſſet cantor, ipſo canente Reſponde mihi, defunctus mœſtiſſimo clamore inſonuit: Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum. quod audientes penè exanimes reddidit, & omni opinione Doctorum corpus ſacra iudicatum eſt debere priuari ſepultura. Narraſſe quoſdam, quibus non mediocris erat fides adhibenda, audiuimus, triplicem hanc horrendam reſponſionem in vno eodémque die ab illo infelici defuncto (quod minùs & à veritate & à credulitate abhorrens videtur) datam. Aſſerunt præterea multi per totam Diœceſim Pariſienſem & paucas alias à tempore tam horrendi ſpectaculi verba illa, Reſponde mihi, fuiſſe omiſſa, vt inter canendum defunctorum Officium lector incipiat, Quantas habeo iniquitates. Ea tempeſta-

peſtate erat ibi magiſter Bruno vir ſanctus & clariſſimus Philoſophus, atque Theologus profundiſſimus, natione Teutonicus ex vrbe Colonia non obſcuris parentibus natus, literis à primæua ætate eruditus, Remenſis Eccleſiæ Canonicus, qui ſupraſcriptis vocibus ſalubriter territus ac compunctus quoſdam ſibi peculiares ibidem præſentes allocutus eſt, verbis ſequentibus ſimillimis: Eia cariſſimi quid faciemus? omnes ſimul peribimus. Non ſaluabitur, niſi qui fugerit, ſi in viridi hæc fiant? quid in arido? ſi homo tantæ dignitatis, tantæ literaturæ, tantæ denique ſcientiæ, qui videbatur tam honeſtæ vitæ, támque celebris famæ, ſic indubitanter, vt ex eius ore audiuimus damnatus eſt, quid nos homunculi miſerrimi faciemus, ſi lugubri vnius homuncionis voce tam horribili, & ſtupendo terrore concuſſi ſimus? quid faciemus, cùm rugitus leonis, cùm extremi tuba iudicij aures noſtras percuſſerit: cùm audiemus, ſurgite mortui, venite ad iudicium, quò tunc fugiemus? quomodo in tam horrendo iudicio, vbi columnæ cæli contremiſcent, & angeli terrebuntur, & territi purgabuntur, apparere poterimus? Fugiamus igitur à facie gladij, præoccupemus faciem Domini in confeſſione, venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos. Poſtquam igitur hodie vocem eius ſtuporis inauditi plenam audiuimus, non obduremus corda noſtra, ſed exeamus de medio Babylonis, egrediamur pentapolim igne & ſulphure iam ſuccenſam, & exemplo Pauli primi eremitæ, & Antonij &

Digitized by Google

Arſenij, Euagrij, & aliorum ſanctorum Anachoretarum cum beato Ioanne Baptiſta antra deſerti quæramus. Hæ quæ futilitatis plena ſunt omnia expoſuiſſe, confutaſſe eſt, vbi creſcente falſitate ſemper itur vlteriùs. Nam auctor cupidè repetit, quæ apud Gerſonem de triplici Doctoris anaſtaſi, & inde impulſo in ſolitudinem Brunone ex fama narrantur: ſed repetit perinde, atque ſi certiſſima forent; deinde quæ apud Antoninum adduntur huic ſtupendo euentui: tum demum rem primò narratam nouis cumulat acceſſionibus mendaciorum, quæ antecedentibus nonnihil adferant coloris. Hinc talem ad annum 1082. Pariſienſem Academiam deſcribit, qualis erat ad annum 1508. quo nihil eſt imperitius aut abſurdius. Inde qui ad feretrum defunctorum Officium pſallerent, religioſos & ſæculares memorat. Sed eos, ſi Deus dederit, religioſos fortè intelligit, qui ex Ordinibus quatuor mendicantium ad exequias de more vocantur. Hinc à non mediocri narrantium fide vindicat opinionem eorum, qui horrendam defuncti reſponſionem vno eodémque die factam contendunt, atque ita eleuat ſententiam aliorum, qui tribus ſubinde diebus factam ſuperiori ſæculo inuexerunt. Inde in Pariſienſi & quibuſdam aliis Eccleſiis ſublatum affirmat illud ex Lectione quarta Officij mortuorum exordium: *Reſponde mihi.* Nec antè fatuari deſinit, quàm ad ſuos habitam à Brunone concionem eidem affingat.

Huic anonymo ſcriptori proximi ſunt Pe-

trus Sutor, Petrus Dorlandus & Franciſcus de Puteo, qui illa prorſus omnia, quæ cùm ex Antonino, tum ex hoc anonymo ſcriptore retulimus, certo quodam veluti alluuionum iure in ſuos libros deriuarunt. Vnde fit, vt ab referendis illorum teſtimoniis ſuperſedeam. Primus libros de Cartuſiana vita duos compoſuit, ſecundus Cartuſienſe Chronicon edidit, tertius ſancti Brunonis vitam conſcripſit, quam poſtea Petrus Blommeuenna & & Surius reconcinnarunt.

IV. *Teſtimonium illius, qui vitam Dionyſij Cartuſiani ſcripſit, refertur & diſpungitur.*

QVARTVS erit anonymus ille, qui in vita Dionyſij Cartuſiani hoc nobile par mendaciorum coniunxit, Cartuſienſium Ordinem per expoſtulationem ſic allocutus: *Verùm quid pro Dionyſio hîc expoſtulo, quando Inſtitutori tuo Diuo etiam Brunoni primo Cartuſiano, reliquiſque tuis alumnis ferè omnibus itidem feceris?* (quod eorum opera non vulgarit) *Nam hunc Brunonem, quem omnis Cartuſia veneratur, vt atrium etiam illud, quod pœnitentiæ & amoris lacrymis rigauerat, flexis circumeat poplitibus? oſculiſque lauerat, hactenus tu adeo ſeruabas ignotum, vt extra illam patriam quis Bruno, quiſve Ordinis tui fuerit auctor, penè mundus ignorauerit. Vnde factum eſt, vt non pauci hiſtoriæ, veritatem ignorantes,*

illum ipſum Doctorem, qui Pariſiis poſt mortem damnatum ſe reuelauit, cuiúſque iudicio territus Bruno cum aliis ſex hoc genus viuendi, quod Cartuſianum dicitur, inſtituit, falsò putauerint eſſe Brunonem, quem propterea tantum abfuit, exiſtimari ſanctum, vt impiè dicerent & damnatum, & à Deo prorſus fuiſſe alienum. Quemadmodum igitur turpiter errarunt illi non pauci, qui hiſtoriæ veritatem cùm ignorarent, damnatum illum Doctorem eumdem eſſe, atque Brunonem crediderunt, ſic & grauiter allucinati ſunt alij non pauci, qui eiuſdem hiſtoriæ veritatem cùm neſcirent, Brunonem abiiſſe in ſolitudinem territum Doctoris cuiuſdam voce, qui ſolemnes inter exequias damnatum ſe aſſeruit, & inde datum Cartuſianæ religionis initium falsò tradiderunt. Parem eſſe vtrobique differendi rationem quis non videt? aut non continuò capit, ſciri haud poſſe, quæ fuerit vera inſtituendi Cartuſienſium Ordinis cauſa, niſi re ad originem recenſita ſtetur in idoneos & fide dignos auctores, qui veram inſtituẽdi Cartuſienſium Ordinis cauſam literis commendarunt. Quinam autem illi ſint auctores, ſuperiori capite demonſtratum eſt.

Concluſio Capitis ſecundi.

EX iis igitur, quæ hoc capite diſcuſſimus, licet colligere quæ ſequuntur.

Primum eſt, ante Gerſonis tempus nullum auctorem, qui ſit exploratæ fidei, teſtimonium præbere huic narrationi, quæ damnatum Do-

ctorem Lutetiæ rediuiuum fecit, & Brunonem in eremum impulit. Hoc vnum obſeruaſſe ſufficeret, vt ea narratio configeretur, & falſitatis conuinceretur.

Alterum, hanc de Doctoris anaſtaſi narrationem, quæ primùm à Gerſone ſcriptis prodita eſt, eò, quo antè diximus modo, nouis in dies cumulari additamentis, quæ & finguntur & refinguntur ad arbitrium, cuiuſmodi ſunt ea quæ Antoninus & anonymus vitæ Brunonis auctor deſcribunt.

Tertium, populare & ineruditum commentum eſſe illud, quo Pariſienſis Academia delineatur. Et certè nemo ſimilem Pariſienſis Academiæ. deſcriptionem inueniet ad annum 1086. quo in Cartuſiam Bruno ſeceſſit, nemo eam idoneis teſtibus confirmabit.

Quartum, non eſſe deſignatum à Gerſone locum, vbi magnæ apud ſcholaſticos exiſtimationis Doctor interiit, ſed ab Antonino & Volaterrano Italis, à Dionyſio Cartuſienſi, & Ioanne Nauclero Germanis deſignatam eſſe Lutetiam Pariſiorum; quaſi nullus celebris Doctor alibi, quàm Lutetiæ mori ſepelirique poſſit. Fabulam autem vt fieri, ſic & amplificari nihil vetat.

Quintum, non poſſe vnquam cordatis iuxtà & ſapientibus viris perſuaderi, quòd exteri ac recentiores hiſtorici, quales ſunt Antoninus & alij veram conuerſionis ſancti Brunonis cauſam meliùs nouerint quàm memorati capite primo Galliæ ſcriptores, quorum alij Lutetiæ, vel non procul à Lutetia vixerunt,

Digitized by Google

alij verò Brunonis æquales, vel certè ſuppares fuerunt, deditáque opera Cartuſienſium inſtitutionem deſcripſerunt.

Sextum, ex iis, quæ ad Antoninum animaduertimus, liquidò patere, ea quæ de Pariſienſi prodigio retulit, ex incerto credulæ plebis rumore collecta eſſe, cùm in aliis, quæ de Brunone & Cartuſienſibus memorauit, auctores habuit, quos ſequeretur, in hoc vero prodigio, vti retulit, ducem habuit neminem. Quod vel vnum Melchioris Cani de Antonino cenſuram maximè confirmaret.

Septimum, quæ anonymus vitæ Brunonis auctor ſcripſit de Academiæ Pariſienſis ſtatu, déque religioſis, qui ad defuncti feretrum, mortuorum vigilias recitant, facilè demonſtrare, quanta cum præteritarum rerum ignoratione hiſtoriam illius Sancti contexuerit, & quod in aliis præterea, quæ antiquiorum temonio carent, nullam fidem mereatur.

Octauum, quòd Pariſienſis & aliæ quædam Eccleſiæ ſuſtulerint *Reſponde mihi*, ex Lectione quarta, quæ in mortuorum vigiliis canitur, & quòd tollendi ea fuerit ratio, quam anonymus vitæ Brunonis auctor adducit, ſcriptis, quæ ad nos peruenerint, neminem hactenus affirmaſſe. Neque verò alios ille huiuſce mutationis vades appellat præter eos, quibuſcum ea de re ad quarumdam fortaſſis anicularum focum confabulabatur.

Nonum, huic anonymo ſcriptori quamlibet fabuloſo, gratiam tamen habendam eſſe, quòd non diſſimularit, ſuo tempore fuiſſe

magnæ in ſentiendo auctoritatis viros, qui ſecus ac Antoninus & Nauclerus de iterata tribus diſtinctis diebus damnati reſponſione opinarentur. Ferre quippe non poterant triduanum illud ſpectaculum, quod vt ab Antonino, Nauclero & aliis exhibetur, ſiquid vſquam, anicularum deliramentum ſapit, nec poteſt riſum non mouere.

Decimum, egregiam de contemptu mundi concionem, quam Anonymus ille commemorat, non eſſe Brunonis, in cuius præterea operibus & homiliis nihil ſimile comparet, ſed Antonini, vel alterius, qui quod fieri potuit, terribilis ſpectaculi memoria occupatus factum exiſtimauit.

Vndecimum, quæ de Brunone ex vita Dionyſij Cartuſiani propoſuimus & vnà diſploſimus, Epiſtolæ Didaſcalicæ ſcriptorem adhuc docere poſſe, non continuò admittenda, quæ quibuſlibet in libris de re qualibet offenduntur, ſed ad optimas aſſerendæ veritatis leges expendenda eſſe, alioqui nihil eſſet tam verum, quod admixtione mendacij non adulteraretur, nihil tam ſincerum, quod non corrumperetur, nihil denique tam certum, quod in dubium non vocaretur.

Duodecimum, in hac tota de Doctoris anaſtaſi narratione ſiqua in re vlla, verum eſſe id, quod illuſtris Annalium Eccleſiaſticorum conditor de Traiani Gregorianis precibus liberati hiſtoria pronunciauit ad annum 604. *Accidere interdum ſolere, vt aliquid vulgò allatum, ſiquis certos velit examinare*

teſtes, an verum ſit, neminem id ſeriò teſtantem inueniat, fiátque, vt quod ab omni dici iactatur, aſſeratur à nemine, rumórque ille euaneſcat in auras. Etenim ſiue quæ primùm de triplici Doctoris reſurrectione. & ad quartam vigiliarum pro mortuis Lectionem reſpõſione, & inde excito ad eremum Brunone dicta ſunt, ſiue quæ tum de habita Brunonis ad collegas & diſcipulos oratione, addita, ſiue etiam de eadem amplificata oratione, déque facta Pariſiis, & alibi in Officio mortuorum mutatione ſuperaddita, ſiue poſtremò quæ de ſtatu Pariſienſis Academiæ, & religioſis ad feretrum defuncti pſallentibus aſſerta, diligenter attendamus; hæc tandem omnia & ſingula in incertum regerentur rumorem, qui ducentis & ampliùs poſt conditum Cartuſienſium Ordinem annis in vulgus ſparſus eſt, ſed, qui vt iam viſum eſt, leui preſſus tactu fumum exhalat, & in vagum puluerem fatiſcit.

Poſtremum, nonnullos ob ignoratam veræ traditionis notionem de vera traditione peſſimè mereri, cui hoc in negotio tribuunt, quæ tribuenda non ſunt, immo quæ veræ traditionis robore proſternuntur. Neque verò, vt quis dicat ſe ſemper habuiſſe perſuaſum, quod auitæ traditionis auctoritati multùm debeatur, (cùm ea de re nullus dubitet) ſufficit, ſed inſuper opus eſt, vt idoneos traditionis adhibeat teſtes, & legitimos aſſertionis ſuæ ſponſores. Hoc autem ſi ſemel negligat, & pro libidine ſua ſolum traditionis nomen obtendat, ſæpiùs quod reipſa traditum eſt, non traditum puta-

Digitized by Google

bit, & contrà quod non eſt traditum, reipſa traditum affirmabit. Síc que nulla propemodum erit veritas, cui mendacij ſpecies non appingatur, nullum fermè mendacium, cui veritatis color non affricetur.

Capvt III.

Momenta rationum illius, qui Epiſtolam Didaſcalicam de vera cauſa conuerſionis ſancti Brunonis ſcripſit, referuntur, & diſpunguntur.

DVo iam confecimus, & primò quidem quicquid Epiſtolæ Didaſcalicæ ſcriptor aduerſus Brunonis epiſtolam, Guiberti & Petri Cluniacenſis teſtimonia diſſeruit, nihil habere acceſiti pretiosíve oſtendimus, deinde vt inualidum eliſimus quicquid ab auctoritate Antonini, Naucleri & eorum, qui Brunonis vitam recenter ediderunt, repetendum cenſuit. Nunc diluendæ ſunt rationes, quibus ſe in hiſtoria rediuiui damnati confirmatum eſſe aſſeuerat. Non quòd iſte labor neceſſariò capiendus ſit, cùm iam antè ſubmouerimus fundamenta, quibus illæ rationes ſuperſtruuntur: ſed ne grauiſſimus auctor deſpectum ſe à nobis, vel aliquid ſilentio præteritum eſſe conqueratur.

Digitized by Google

Prima ratio Epiſtolæ Didaſcalicæ.

PRIMA verò ratio hæc eſt pagina 21. *Ceterùm vt iam explicare aggrediar, quæ rationes mihi hanc remoram iniecerunt*, (ne ſcilicet in noſtram opinionem tranſiret) *prima fuit auitæ traditionis auctoritas, cui multùm deberi, ſemper habui perſuaſum. Ante annos verò circiter triginta vix erat Pariſiis vlla de hac primordiali occaſione conuerſionis ſancti Brunonis dubitatio, ſic maiores ſiquidem crediderant actùm, & poſteris ad nos vſque pro re certa atque indubia* (meliùs indubitata) *enarrauerant.* Huic rationi iam aliud agentes occurrimus in concluſione capitis ſecundi, vbi hunc ex traditione diſputandi locum tractauimus. Quin auita & vera traditio magnifacienda ſit, nulla eſt inter nos contentio, ſed an illa damnati rediuiui narratio, quam conuerſionis ſancti Brunonis cauſam facit, auita & vera traditione nitatur, quærimus. illa autem rediuiui narratio à vera traditione deficit, vt conſtat ex iis, quæ cap. 1. & 2. diſputauimus. Neque enim quæcumque opinionis alicuius progreſſio æui auctoritate ſe tuetur, ſed ea tantùm, quæ quod ab initio rei geſtæ poſteris traditum eſt, conſeruat, & conſeruatum deinceps probè demonſtratur. Illa verò narratio, quam ille auitæ traditioni deputat, poſt ducentos ab inſtituto Cartuſienſium Ordine annos & ampliùs initium habet, & ita habet, quemadmodũ cap. 2. viſum eſt. quare hanc epocham non

Digitized by Google

excedunt *maiores* illi, qui eam rediuiui narrationem *poſteris ad nos vſque pro re certa, atque indubia enarrauerunt.* Hæc cùm ita ſint, ficta illa poſt tot annos narratio, ſi cum hoc tempore componatur, vetuſta vtcumque dici poteſt, ſed, ſi cum veteri & prima conuerſionis ſancti Brunonis traditione, quæ labis expers eſt, conferatur, noua eſt & erit ſemper, nec vllam vnquam vetuſtatem acquiret præterquam erroris.

Ceterùm quod operis Didaſcalici ſcriptor ait, ante annos circiter triginta vix vllam fuiſſe Pariſiis dubitationem de hac conuerſionis ſancti Brunonis occaſione, quam neglectis hiſtoriæ legibus primordialem vocat, à vero tantillum abhorret. Etenim Papirius Maſſonus, qui multorum inſtar eſſe poteſt, Lutetiæ vixit, annóque 1578. Annales Francorum edidit, vbi hanc conuerſionis Brunonis occaſionem confixit. Locum alibi commodiùs referemus.

Secunda ratio.

SECVNDA ratio ſic ſe habet pagina 22. *Accedebant figuræ & imagines, quibus funeſtum illud ſpectaculum repræſentabatur. hæ expreſſæ erant in ſacrarum precatiuncularum (quas Horas vocitant) libellulis, immo etiam in Breuiariis aliquot, atque Miſſalibus, non modò huius Diœceſis, ſed aliarum quoque nonnullarum.* Vidimus quoque multos eiuſmodi libros, in quibus nihil tale comparebat. Cur

autem in quibuſdam Pariſienſis & aliarum Diœceſeom libris hæ figuræ & imagines pingerentur, in aliis non pingerentur, coniiciet qui voluerit. Nos tamen auctori fidem habemus. ſed hæ figuræ & imagines nullius ſunt momenti, cùm iis tantùm fulciantur auctoribus, quos reiecimus. Eas verò imagines, quæ Brunonis tempore depictæ eſſent, tanquam veritatis teſtes amplecteremur, vt agnoſcat auctor nos non omne quæſitum ex picturis & imaginibus argumentum repudiare. Quin autem adoleſcentuli; vt de ſeipſo fatetur, & vulgus imperitum huiuſmodi picturarum aſpectu obſtupuerint aliquando, & obſtupeſcant adhuc, nec negamus, nec impedimus.

Tertia ratio.

TERTIA ratio ſic deducitur eadem paginâ: *In ſcholis etiam ita nobis referebant magiſtri, decurtatúmque ideo dicebant ſecundùm ritum Pariſienſem ex Lectione quarta Officij defunctorum, illud eiuſdem exordium, Reſponde mihi, quod clerico in Officio funeris hæc verba de more pronuncianti reſponderit miſer ille defunctus: Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum, deinde iudicatus ſum, demùm verò damnatus. Réſque idcirco nobis iam aliquantulum ratiocinantibus probabilior fiebat, quod in Romano Breuiario duo illa verba, quæ reſecta erant à Pariſienſi, extabant in ipſius Lectionis quartæ primordio.* (meliùs primordiis.) Hæc omnia magiſtri, quorum meminit

auctor, referre potuerunt ex anonymo vitæ Brunonis ſcriptore, quem ſuperiori capite diſpunximus, ſed ex antiquiori ſcriptore, cui fides habeatur, referre non potuerunt. Itaque illorum magiſtrorum documenta inter nouitias apologorum narrationes amandamus. Vt autem obſeruetur diſcrimen, quod Romanum inter & Pariſienſe mortuorum Officium in Lectione quarta intercedit, non multa opus eſt ratiocinatione, quæ argumentum rei, certè vt contendimus fabuloſum ſupponat, ſed ſedula indagatione, quæ quod in vtroque Officio ante annum 1086. quo Bruno in eremum abiit, traditum fuit, & poſtea immutatum demonſtret.

Quid? ſi tunc in vigiliis mortuorum nondum vllæ è ſcriptura Lectiones, ſed Pſalmi tantùm recitarentur? At illud non obſcurè ſignificat Ioannes Abrincenſis Epiſcopus in libro, quem de Officiis Eccleſiaſticis ea ætate conſcripſit. hæc autem ſunt illius verba: *In craſtino Omnium Sanctorum fiat feſtiua celebratio omnium mortuorum, in qua non dicatur Hymnus aut Inuitatorium. Bini clerici cantent vnumquòque Reſponſorium, duo regant chorum, duo cappati Gradale, quatuor cantent tractum Matutinæ, & horæ diei nullo modo prætermittantur, ſed has ferialiter dictas agenda mortuorum feſtiua ſequatur. Prima dicta tres Pſalmi, ſcilicet, Ad Dominum cùm tribularer, Leuaui, Lætatus ſum, in tono dicantur, & verſu dicto Kyrie eleiſon, cantetur. Oratione Dominica finita, cum primo tantùm cap.*

Requiem æternam, oratio ſequatur. Eodem modo in ceteris Horis exceptis & Matutinis. In tertia, Ad te leuaui, Niſi quia Dominus, Qui confidunt, verſiculus erit A porta inferi. In ſexta, In conuertendo, Niſi Dominus ædificauerit. Beati omnes. Verſ. Non intres in iudicium. In nona, Sæpè expugnauerunt, De profundis, Domine non eſt verſiculus, In memoria æterna. In Completorio, Deus miſereatur, Deus in adiutorium, Domine exaudi orationem meam auribus, verſiculus Requiem æternam. vbi quæſo mentio Lectionum, quæ in agenda mortuorum dicantur?

Quid? ſi tunc Lectiones in vigiliis mortuorum recitarentur, neque ex libro Iobi recitarentur? At iſtud fieri potuiſſe docet Ioannes Belethus Pariſienſis Theologus in opere de diuinis Officiis cap. 161. *Quibus abſolutis ſequitur Completorium ac poſtea Vigiliæ, quarum tria ſunt genera: In quibuſdam enim Eccleſiis nouem leguntur Lectiones ex Iob: In aliis verò totidem, ſed ex libro Sapientiæ: Incipiunt autem hæ hoc pacto, melius eſt ire ad domum, quàm ad domum conuiuij. Sunt rurſus aliæ Eccleſiæ, in quibus itidem nouem recitantur Lectiones, verùm ex ſermone quodam beati Auguſtini quem ille compoſuit de mortuis.* Quod confirmant Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. 7. de diuinis Officiis, & Petrus Ciruelus Complutenſis Theologus in expoſitione libri Miſſalis cap. 115.

Qui & adhuc non obſeruarunt, in quibuſdam Eccleſiis octauam vel nonam Lectionem

nunc ex Apocalypſi beati Ioannis, nunc ex Epiſtolis beati Pauli recitari. Eccleſia Metenſis octauam Lectionem ex cap. 4. primæ Pauli ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ recitat à commate 13. ad finem vſque capitis: nonam verò Lectionem ex cap. 15. primæ ad Corinth. Epiſtolæ à commate 51. ad 58. vſque, vt habetur in agenda Metenſi, quæ anno 1605. edita eſt. Hanc eandem nonam Lectionem recitant Eccleſiæ Ambianenſis & Niuernenſis; illa quidem in Manuali quod anno 1541. editum eſt; hæc verò in Manuali, quod anno 1582. prodiit in lucem. Trecenſis autem & Laudunenſis Eccleſiæ Lectionem nonam depromunt ex capite 14. Apocalypſis à commate 13. ad 14. vſque; illa huius rei fidem facit in Manuali, quod anno 1541. hæc verò in Manuali, quod anno 1538. typis mandatum eſt: atque iſta ſufficiunt ad exemplum. Hæc autem cùm ita ſint, nonne ridiculus foret, qui contenderet, has ex Apocalypſi Ioannis, atque ex Epiſtolis Pauli Lectiones in locum earum, quæ in Eccleſia Pariſienſi & aliis ex libro Iobi hodiéque ſumuntur, olim ſuffectas fuiſſe, quòd in illis Eccleſiis mortuus aliquis inter ſolemnes exequias apparuerit, qui ſe ex vtero matris eductum conqueſtus eſſet, aut qui conſumptis carnibus pellem ſuam oſſibus adhæreſcentem exhibuiſſet aliquando? ſic otio abuſus eſt & literis, qui quod antea retulimus, ex incerto rumore iecit in commentarios.

Quid? ſi quibuſdam in Eccleſiis, puta Romana, vel Pariſienſi Lectiones primùm ex libro

Sapientiæ, vel ex Auguſtino promptæ, deinde his ſublatis aliæ ex libro Iobi ſuffectæ fuerint? At hanc mutationem fieri & rectè fieri potuiſſe quis iret inficias?

Quid? ſi Lectiones ex libro Iobi ſumptæ, non omnes ſumptæ ſint ex iiſdem capitibus, ex quibus nunc vulgò ſumuntur? At in Senonenſibus mortuorum vigiliis, quæ in Manuali editæ ſunt anno 1555. Lectio quarta ſumitur ex cap. 14. Iobi à commate 13. *Quis mihi hoc tribuat*, &c. Lectio ſeptima ex eodem cap. à commate 7. *Lignum habet ſpem*, &c. Lectio octaua ex cap. 10. à commate 14. *Si peccaui*, &c. Lectio nona ex cap. 7. à commate 1. *Militia eſt vita hominis*. In Catalaunenſibus mortuorum vigiliis, quæ anno 1569. editæ ſunt in Manuali, Lectio prima ſumitur ex eodem cap. 7. ab eodem commate 1. Lectio ſecunda ex cap. 10. à commate 8. *Manus tuæ fecerunt me*, &c. Lectio tertia ex eodem cap. 10. à commate 14. *Si peccaui*, &c. Lectio quarta ex cap. 14. à commate 1. *Homo natus de muliere*, &c. Lectio quinta ex eodem cap. à commate 7. *Lignum habet ſpem*, &c. Lectio ſexta ex eodem cap. à commate 13. *Quis mihi hoc tribuat?* &c. Lectio ſeptima ex cap. 19. à commate 25. *Scio enim quod Redemptor*, &c. Lectio octaua ex cap. 30. à commate 15. *Abſtuliſti quaſi ventus*, &c. Lectio nona ex eodem cap. à commate 20. *Clamo ad te*, &c. In his autem vigiliis, quia Lectio quarta Pariſienſis Officij ex cap. 13. Iobi non comparet, erítne, qui eam olim ſublatam affirmet propter illud

Pari-

Digitized by Google

Pariſienſe prodigium, quod Didaſcalus noſter conuerſionis ſancti Brunonis cauſam inſcripſit?

Quid? ſi quibuſdam in Eccleſiis illa Lectio, quæ in Pariſienſi Officio quarta eſt, tertia dicatur? At in Lingonenſibus mortuorum vigiliis, quæ in Manuali editæ ſunt anno 1573. ſic fieri certum eſt.

Quid? ſi plures reperiantur Eccleſiæ, quæ eandem cum Pariſienſi Lectionem recitent? At primùm in tota Lugdunenſi ſecunda ita ſe res habet, vti fidem facit Rotomagenſe Manuale, quod anno 1544. editum eſt, Lexouienſe, quod anno 1507. & 1523. Baiocenſe, quod anno 1611. Ebroicenſe, quod anno 1504. & 1586. Abrincenſe, quod anno 1539. Sagienſe, quod anno 1516. Conſtantienſe, quod anno 1594. & 1609. Deinde in prima Lugdunenſi Eduenſe, quod anno 1500. tum in quarta Lugdunenſi vetere Carnotenſe, quod anno 1490. & 1604. & Niuernenſe, quod anno 1582. deinde in tertia Lugdunenſi Andegauenſe, quod anno 1580. Redonenſe, quod anno 1557. & Venetenſe, quod anno 1596. poſtremò in Belgica ſecunda Remenſe, quod anno 1504. & 1585. Eritne propterea, Deus immortalis, qui probet ante annum 1086. Lectionem quæ ex Iobi cap. 13. ſumitur, ab extremo commate 22. legi ſolitam, deinde ob memoratam in Epiſtola Didaſcalica rationem à commate 23. cani cœptam? Sed quare qui primi tot in Eccleſiis Lectiones in Officio mortuorum digeſſerunt, quartam ab initio commatis 23. non

Digitized by Google

potuerunt incipere? Et reuera quamuis nihil ſit reprehenſione dignum in vſu Eccleſiarum, quæ hanc Lectionem quartam ab extremo commate 22. incipiunt, eam tamen ab initio commatis 23. incipere paulò congruentiùs videtur; cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd ceteræ Lectiones non ab vllo extremo commate, ſed ab alicuius commatis exordio ſemper incipiant.

Quarta ratio.

QVARTA ratio ſic depromitur eadem pagina 22. *Inſuper oſtendebatur nobis celebris illa pictura, quæ in monaſterij Patrum Cartuſianorum huius vrbis clauſtro Eccleſiæ propinquiori etiamnum cernitur, ſeriem exprimens vitæ miſeri huius hominis, & funeſti exceſſus, horrendæque illius damnationis ab ipſo publicè in Eccleſia poſt mortem declaratæ, & eiectionis eius cadaueris in profanum locum, horribilem cataſtrophen.* Hæc pictura nihilo plus habet auctoritatis, quàm libri ex quibus originem trahit. Deſignatum argumento ſuo tempus non excedit, ſed longo pòſt interuallo ſequitur. Ad annum quippe 1532. delineata eſt, vti ſcriptum nuper viſebatur ſupra portã, qua è minore itur ad maius clauſtrum: Nuper, inquam, cùm vertente ſuperiori anno pictura illa celebris partim delèta ſit, partim nouis, quæ parietinis adhærent, ſubſtructionibus, iiſque cùm lapideis tũ ligneis arcuatim diſpoſitis occultetur. Deinde recentem fuiſſe figuram om-

Digitized by Google

ninò teſtabatur forma pilei,quo tectus Bruno auditores ſuos hinc inde docebat. Hoc enim capitis operimentum, quod in veteribus Academiæ libris birretum rotundum & vocabatur, & erat, ad annum 1520. aliter deformari cœpit, & in cornutum quadrum deſinere : cuiuſmodi erat pileus ſeu birretum magiſterij inſigne, quo vt diximus, Brunonis caput tegebatur. Ceterùm qui pinxit prodigium, & qui fratres pingi curarunt, illud ita eueniſſe vt pingebatur, opinor crediderunt, ſed decepti fuêre ab iis, qui pingendæ rei falſæ argumentum dederunt.

Prima quartæ rationis confirmatio.

QVARTAM rationem, quæ modò diſploſa eſt, ſic auctor confirmat pagina 23. *Plurimùm*, inquit, *ſtupebamus hoc viſu, & non nos tantùm adoleſcentuli, quoties picturas illas conſpiciebamus, verùm ij etiam, quos paſſim animaduertebamus, viros etiam graues & doctos in has obtutus ſuos defigere.* Non dubito, quin adoleſcentuli, qui verum à falſo nondum ſecernunt, huius picturæ intuitu territi ſtupeant. ſed viri graues & docti non ſtupent, ſed vel ignorantiam ſæculi, vel audaciam in pingenda falſitate mirantur, vel etiam derident.

Digitized by Google

Prima ratio Epiſtolæ Didaſcalicæ.

PRIMA verò ratio hæc eſt pagina 21. *Ceterùm vt iam explicare aggrediar, quæ rationes mihi hanc remoram iniecerunt,* (ne ſcilicet in noſtram opinionem tranſiret) *prima fuit auitæ traditionis auctoritas, cui multùm deberi, ſemper habui perſuaſum. Ante annos verò circiter triginta vix erat Pariſiis vlla de hac primordiali occaſione conuerſionis ſancti Brunonis dubitatio, ſic maiores ſiquidem crediderant actùm, & poſteris ad nos vſque pro re certa atque indubia* (meliùs indubitata) *inarrauerant.* Huic rationi iam aliud agentes occurrimus in concluſione capitis ſecundi, vbi hunc ex traditione diſputandi locum tractauimus. Quin auita & vera traditio magnifacienda ſit, nulla eſt inter nos contentio, ſed an illa damnati rediuiui narratio, quam conuerſionis ſancti Brunonis cauſam facit, auita & vera traditione nitatur, quærimus. illa autem rediuiui narratio à vera traditione deficit, vt conſtat ex iis, quæ cap. 1. & 2. diſputauimus. Neque enim quæcumque opinionis alicuius progreſſio æui auctoritate ſe tuetur, ſed ea tantùm, quæ quod ab initio rei geſtæ poſteris traditum eſt, conſeruat, & conſeruatum deinceps probè demonſtratur. Illa verò narratio, quam ille auitæ traditioni deputat, poſt ducentos ab inſtituto Cartuſienſium Ordine annos & ampliùs initium habet, & ita habet, quemadmodũ cap. 2. viſum eſt. quare hanc epocham non

Digitized by Google

excedunt *maiores* illi, qui eam rediuiui narrationem *poſteris ad nos vſque pro re certa, atque indubia enarrauerunt.* Hæc cùm ita ſint, ficta illa poſt tot annos narratio, ſi cum hoc tempore componatur, vetuſta vtcumque dici poteſt, ſed, ſi cum veteri & prima conuerſionis ſancti Brunonis traditione, quæ labis expers eſt, conferatur, noua eſt & erit ſemper, nec vllam vnquam vetuſtatem acquiret præterquam erroris.

Ceterùm quod operis Didaſcalici ſcriptor ait, ante annos circiter triginta vix vllam fuiſſe Pariſiis dubitationem de hac conuerſionis ſancti Brunonis occaſione, quam neglectis hiſtoriæ legibus primordialem vocat, à vero tantillum abhorret. Etenim Papirius Maſſonus, qui multorum inſtar eſſe poteſt, Lutetiæ vixit, annóque 1578. Annales Francorum edidit, vbi hanc conuerſionis Brunonis occaſionem confixit. Locum alibi commodiùs referemus.

Secunda ratio.

SECVNDA ratio ſic ſe habet pagina 22. *Accedebant figuræ & imagines, quibus funeſtum illud ſpectaculum repræſentabatur. hæ expreſſæ erant in ſacrarum precatiuncularum (quas Horas vocitant) libellulis, immo etiam in Breuiariis aliquot, atque Miſſalibus, non modò huius Diœceſis, ſed aliarum quoque nonnullarum.* Vidimus quoque multos eiuſmodi libros, in quibus nihil tale comparebat. Cur

Digitized by Google

autem in quibuſdam Pariſienſis & aliarum Diœceſeom libris hæ figuræ & imagines pingerentur, in aliis non pingerentur, coniiciet qui voluerit. Nos tamen auctori fidem habemus. ſed hæ figuræ & imagines nullius ſunt momenti, cùm iis tantùm fulciantur auctoribus, quos reiecimus. Eas verò imagines, quæ Brunonis tempore depictæ eſſent, tanquam veritatis teſtes amplecteremur, vt agnoſcat auctor nos non omne quæſitum ex picturis & imaginibus argumentum repudiare. Quin autem adoleſcentuli, vt de ſeipſo fatetur, & vulgus imperitum huiuſmodi picturarum aſpectu obſtupuerint aliquando, & obſtupeſcant adhuc, nec negamus, nec impedimus.

Tertia ratio.

TERTIA ratio ſic deducitur eadem paginâ: *In ſcholis etiam ita nobis referebant magiſtri, decurtatúmque ideo dicebant ſecundùm ritum Pariſienſem ex Lectione quarta Officij defunctorum, illud eiuſdem exordium, Reſponde mihi, quod clerico in Officio funeris hæc verba de more pronuncianti reſponderit miſer ille defunctus: Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum, deinde iudicatus ſum, demùm verò damnatus. Réſque idcirco nobis iam aliquantulum ratiocinantibus probabilior fiebat, quod in Romano Breuiario duo illa verba, quæ reſecta erant à Pariſienſi, extabant in ipſius Lectionis quartæ primordio.* (meliùs primordiis.) Hæc omnia magiſtri, quorum meminit

auctor, referre potuerunt ex anonymo vitæ Brunonis ſcriptore, quem ſuperiori capite diſpunximus, ſed ex antiquiori ſcriptore, cui fides habeatur, referre non potuerunt. Itaque illorum magiſtrorum documenta inter nouitias apologorum narrationes amandamus. Vt autem obſeruetur diſcrimen, quod Romanum inter & Pariſienſe mortuorum Officium in Lectione quarta intercedit, non multa opus eſt ratiocinatione, quæ argumentum rei, certè vt contendimus fabuloſum ſupponat, ſed ſedula indagatione, quæ quod in vtroque Officio ante annum 1086. quo Bruno in eremum abiit, traditum fuit, & poſtea immutatum demonſtret.

Quid? ſi tunc in vigiliis mortuorum nondum vllæ è ſcriptura Lectiones, ſed Pſalmi tantùm recitarentur? At illud non obſcurè ſignificat Ioannes Abrincenſis Epiſcopus in libro, quem de Officiis Eccleſiaſticis ea ætate conſcripſit. hæc autem ſunt illius verba: *In craſtino Omnium Sanctorum fiat feſtiua celebratio omnium mortuorum, in qua non dicatur Hymnus aut Inuitatorium. Bini clerici cantent vnumquòque Reſponſorium, duo regant chorum, duo cappati Gradale, quatuor cantent tractum Matutinæ, & horæ diei nullo modo prætermittantur, ſed has ferialiter dictas agenda mortuorum feſtiua ſequatur. Prima dicta tres Pſalmi, ſcilicet, Ad Dominum cùm tribularer, Leuaui, Lætatus ſum, in tono dicantur, & verſu dicto Kyrie eleiſon, cantetur. Oratione Dominica finita, cum primo tantùm cap.*

Requiem æternam , oratio ſequatur. Eodem modo in ceteris Horis exceptis & Matutinis. In tertia, Ad te leuaui, Niſi quia Dominus, Qui confidunt, verſiculus erit A porta inferi. In ſexta, In conuertendo, Niſi Dominus ædificauerit. Beati omnes. Verſ. Non intres in iudicium. In nona, Sæpè expugnauerunt, De profundis, Domine non eſt. verſiculus, In memoria æterna. In Completorio, Deus miſereatur, Deus in adiutorium, Domine exaudi orationem meam auribus, verſiculus Requiem æternam. vbi quæſo mentio Lectionum, quæ in agenda mortuorum dicantur?

Quid? ſi tunc Lectiones in vigiliis mortuorum recitarentur, neque ex libro Iobi recitarentur? At iſtud fieri potuiſſe docet Ioannes Belethus Pariſienſis Theologus in opere de diuinis Officiis cap. 161. *Quibus abſolutis ſequitur Completorium ac poſtea Vigiliæ, quarum tria ſunt genera: In quibuſdam enim Eccleſiis nouem leguntur Lectiones ex Iob: In aliis verò totidem, ſed ex libro Sapientiæ: Incipiunt autem hæ hoc pacto; melius eſt ire ad domum, quàm ad domum conuiuij. Sunt rurſus aliæ Eccleſiæ, in quibus itidem nouem recitantur Lectiones, verùm ex ſermone quodam beati Auguſtini quem ille compoſuit de mortuis.* Quod confirmant Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. 7. de diuinis Officiis, & Petrus Ciruelus Complutenſis Theologus in expoſitione libri Miſſalis cap. 115.

Qui & adhuc non obſeruarunt, in quibuſdam Eccleſiis octauam vel nonam Lectionem

nunc ex Apocalypſi beati Ioannis, nunc ex Epiſtolis beati Pauli recitari. Eccleſia Metenſis octauam Lectionem ex cap. 4. primæ Pauli ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ recitat à commate 13. ad finem vſque capitis: nonam verò Lectionem ex cap. 15. primæ ad Corinth. Epiſtolæ à commate 51. ad 58. vſque, vt habetur in agenda Metenſi, quæ anno 1605. edita eſt. Hanc eandem nonam Lectionem recitant Eccleſiæ Ambianenſis & Niuernenſis; illa quidem in Manuali quod anno 1541. editum eſt; hæc verò in Manuali, quod anno 1582. prodiit in lucem. Trecenſis autem & Laudunenſis Eccleſiæ Lectionem nonam depromunt ex capite 14. Apocalypſis à commate 13. ad 14. vſque; illa huius rei fidem facit in Manuali, quod anno 1541. hæc verò in Manuali, quod anno 1538. typis mandatum eſt: atque iſta ſufficiunt ad exemplum. Hæc autem cùm ita ſint, nonne ridiculus foret, qui contenderet, has ex Apocalypſi Ioannis, atque ex Epiſtolis Pauli Lectiones in locum earum, quæ in Eccleſia Pariſienſi & aliis ex libro Iobi hodiéque ſumuntur, olim ſuffectas fuiſſe, quòd in illis Eccleſiis mortuus aliquis inter ſolemnes exequias apparuerit, qui ſe ex vtero matris eductum conqueſtus eſſet, aut qui conſumptis carnibus pellem ſuam oſſibus adhæreſcentem exhibuiſſet aliquando? ſic otio abuſus eſt & literis, qui quod antea retulimus, ex incerto rumore iecit in commentarios.

Quid? ſi quibuſdam in Eccleſiis, puta Romana, vel Pariſienſi Lectiones primùm ex libro

Sapientiæ, vel ex Auguſtino promptæ, deinde his ſublatis aliæ ex libro Iobi ſuffectæ fuerint? At hanc mutationem fieri & rectè fieri potuiſſe quis iret inficias?

Quid? ſi Lectiones ex libro Iobi ſumptæ, non omnes ſumptæ ſint ex iiſdem capitibus, ex quibus nunc vulgò ſumuntur? At in Senonenſibus mortuorum vigiliis, quæ in Manuali editæ ſunt anno 1555. Lectio quarta ſumitur ex cap. 14. Iobi à commate 13. *Quis mihi hoc tribuat*, &c. Lectio ſeptima ex eodem cap. à commate 7. *Lignum habet ſpem*, &c. Lectio octaua ex cap. 10. à commate 14. *Si peccaui*, &c. Lectio nona ex cap. 7. à commate 1. *Militia eſt vita hominis*. In Catalaunenſibus mortuorum vigiliis, quæ anno 1569. editæ ſunt in Manuali, Lectio prima ſumitur ex eodem cap. 7. ab eodem commate 1. Lectio ſecunda ex cap. 10. à commate 8. *Manus tuæ fecerunt me*, &c. Lectio tertia ex eodem cap. 10. à commate 14. *Si peccaui*, &c. Lectio quarta ex cap. 14. à commate 1. *Homo natus de muliere*, &c. Lectio quinta ex eodem cap. à commate 7. *Lignum habet ſpem*, &c. Lectio ſexta ex eodem cap. à commate 13. *Quis mihi hoc tribuat?* &c. Lectio ſeptima ex cap. 19. à commate 25. *Scio enim quod Redemptor*, &c. Lectio octaua ex cap. 30. à commate 15. *Abſtuliſti quaſi ventus*, &c. Lectio nona ex eodem cap. à commate 20. *Clamo ad te*, &c. In his autem vigiliis, quia Lectio quarta Pariſienſis Officij ex cap. 13. Iobi non comparet, eritne, qui eam olim ſublatam affirmet propter illud

Pari-

Digitized by Google

Pariſienſe prodigium, quod Didaſcalus noſter conuerſionis ſancti Brunonis cauſam inſcripſit?

Quid? ſi quibuſdam in Eccleſiis illa Lectio, quæ in Pariſienſi Officio quarta eſt, tertia dicatur? At in Lingonenſibus mortuorum vigiliis, quæ in Manuali editæ ſunt anno 1573. ſic fieri certum eſt.

Quid? ſi plures reperiantur Eccleſiæ, quæ eandem cum Pariſienſi Lectionem recitent? At primùm in tota Lugdunenſi ſecunda ita ſe res habet, vti fidem facit Rotomagenſe Manuale, quod anno 1544. editum eſt, Lexouienſe, quod anno 1507. & 1523. Baiocenſe, quod anno 1611. Ebroicenſe, quod anno 1504. & 1586. Abrincenſe, quod anno 1539. Sagienſe, quod anno 1516. Conſtantienſe, quod anno 1594. & 1609. Deinde in prima Lugdunenſi Eduenſe, quod anno 1500. tum in quarta Lugdunenſi vetere Carnotenſe, quod anno 1490. & 1604. & Niuernenſe, quod anno 1582. deinde in tertia Lugdunenſi Andegauenſe, quod anno 1580. Redonenſe, quod anno 1557. & Venetenſe, quod anno 1596. poſtremò in Belgica ſecunda Remenſe, quod anno 1504. & 1585. Eritne propterea, Deus immortalis, qui probet ante annum 1086. Lectionem quæ ex Iobi cap. 13. ſumitur, ab extremo commate 22. legi ſolitam, deinde ob memoratam in Epiſtola Didaſcalica rationem à commate 23. canı cœptam? Sed quare qui primi tot in Eccleſiis Lectiones in Officio mortuorum digeſſerunt, quartam ab initio commatis 23. non

Digitized by Google

potuerunt incipere? Et reuera quamuis nihil ſit reprehenſione dignum in vſu Eccleſiarum, quæ hanc Lectionem quartam ab extremo commate 22. incipiunt, eam tamen ab initio commatis 23. incipere paulò congruentiùs videtur; cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd ceteræ Lectiones non ab vllo extremo commate, ſed ab alicuius commatis exordio ſemper incipiant.

Quarta ratio.

QVARTA ratio ſic depromitur eadem pagina 22. *Inſuper oſtendebatur nobis celebris illa pictura, quæ in monaſterij Patrum Cartuſianorum huius vrbis clauſtro Eccleſiæ propinquiori etiamnum cernitur, ſeriem exprimens vitæ miſeri huius hominis, & funeſti exceſſus, horrendæque illius damnationis ab ipſo publicè in Eccleſia poſt mortem declaratæ, & eiectionis eius cadaueris in profanum locum, horribilem cataſtrophen.* Hæc pictura nihilo plus habet auctoritatis, quàm libri ex quibus originem trahit. Deſignatum argumento ſuo tempus non excedit, ſed longo pòſt interuallo ſequitur. Ad annum quippe 1532. delineata eſt, vti ſcriptum nuper viſebatur ſupra portã, qua è minore itur ad maius clauſtrum: Nuper, inquam, cùm vertente ſuperiori anno pictura illa celebris partim delèta ſit, partim nouis, quæ parietinis adhærent, ſubſtructionibus, iiſque cùm lapideis tũ ligneis arcuatim diſpoſitis occultetur. Deinde recentem fuiſſe figuram om-

ninò teſtabatur forma pilei, quo tectus Bruno auditores ſuos hinc inde docebat. Hoc enim capitis operimentum, quod in veteribus Academiæ libris birretum rotundum & vocabatur, & erat, ad annum 1520. aliter deformari cœpit, & in cornutum quadrum deſinere: cuiuſmodi erat pileus ſeu birretum magiſterij inſigne, quo vt diximus, Brunonis caput tegebatur. Ceterùm qui pinxit prodigium, & qui fratres pingi curarunt, illud ita eueniſſe vt pingebatur, opinor crediderunt, ſed decepti fuêre ab iis, qui pingendæ rei falſæ argumentum dederunt.

Prima quartæ rationis confirmatio.

QVARTAM rationem, quæ modò diſploſa eſt, ſic auctor confirmat pagina 23. *Plurimùm*, inquit, *ſtupebamus hoc viſu, & non nos tantùm adoleſcentuli, quoties picturas illas conſpiciebamus, verùm ij etiam, quos paſſim animaduertebamus, viros etiam graues & doctos in has obtutus ſuos defigere.* Non dubito, quin adoleſcentuli, qui verum à falſo nondum ſecernunt, huius picturæ intuitu territi ſtupeant. ſed viri graues & docti non ſtupent, ſed vel ignorantiam ſæculi, vel audaciam in pingenda falſitate mirantur, vel etiam derident.

Digitized by Google

Altera quartæ rationis confirmatio.

DEINDE eandem rationem corroborat ex picturæ loco, atque ex Academiæ viciniâ: Sic autem habet eadem pagina 23. *Vix enim meum in animum cadere poterat, in loco ſancto ſedem mendacium tam pudendum potuiſſe inuenire, nec paſſuros putabam tandiu fuiſſe ſapientiſſimos illos Doctores, qui ex vicina Sorbona inſitæ affectu pietatis, crebro eò concurrunt, illámque picturam paſſim intuentur, ita ſibi, ſcholaſticis, ac toti clero illudi, ac populo imponi tam atroci commento, ſed monituros fuiſſe celebris illius monaſterij religioſiſſimos aſcetas tam pernicioſæ fictionis obducendæ.* Non hominis grandæui, ſed adoleſcentis argumenta ſunt, quæ auctor deſcribit, ne fortè pagina vacaret. Etenim maturioris & eruditioris ætatis homo nouit, Gregorium Pontificem primum quædam in ſacris Officiis & miniſteriis reprehendenda ſuſtuliſſe, quod & ipſe ſecundo Concilio Romano, & Agobardus de veteri ritu canendi Pſalmos confirmant. Itaque ſi ante Gregorium nonnulla in ſacrorum rituum miniſterium reprehenſione digna irrepſerant, quidni & in Cartuſienſium clauſtris fabuloſum aliquid depingeretur? his & ſimilibus incommodis beatus occurrit Auguſtinus lib. 6. contra Donatiſtas cap. 25. vbi ſermonem habet de multorum precibus, quæ plura contra Catholicam fidem continerent: *Multorum*, inquit, *preces quotidie emendan-*

tur, ſi doctioribus fuerint recitata.

Quòd autem Pariſienſes è Sorbona Theologos in picturatæ rationis defenſionem oppigneret, iuuenilis exercitatio eſt, qua quid proficere poſſit, non ſatis capio. quid enim iuris habent in Cartuſienſes, & Cartuſienſium parietinas? quid auctoritatis? vt ſi quid in opere picturato diſpliceat, continuò deleri iubeant. Deinde vnde habet, nullos fuiſſe vnquam Doctores, qui hanc mendacem picturam improbarint? Nonne plures improbare potuerint, & improbando nihil conſequi à Cartuſienſibus?

Verum enimuerò quicquid eſt hac in exercitatione roboris, eneruat auctor iam credo robuſtior factus pag. 47. & 48. vbi ad illam picturam ſic reuertitur: *Nec itidem Lutetia præpedit: quamuis enim in recẽti Breuiario Pariſienſi nihil de eiuſdẽ narratione habeatur, non tamen ab hac penitùs cenſenda eſt Lutetia abhorrere, quæ etiãnum apud Cartuſianos antiquam illam picturam ſuſtinet ac ſuſpicit, plurimóſque habet, non ex fæce vulgi, ſed ex ſelectiori ordine hiſtoriæ aſſertores. Vnum eſt, quod ſummo conſenſu regia Lutetia, vti figmentum reiicit, quòd nimirum fuerit ille reprobus Canonicus, aut Doctor Pariſienſis.* Non reiiceret autem, niſi picturam aſpiciẽtibus obiiceretur. Quemadmodum igitur pictura, quæ tandiu figmentum exhibuit, integra remanſit, quamuis illud ſummo, quo nullus maior eſt, conſenſu Lutetia reiiceret; ſic & picturam supereſſe integram ſapientiſſimi Doctores paſſi ſunt, licèt ſummo conſenſu

Digitized by Google

memoratam in ea conuerſionis ſancti Brunonis occaſionem repudiarent. An autem Epiſtolæ Didaſcalicæ ſcriptor tabulas habeat, quibus conſtet, vniuerſam ciuitatem ſummo conſenſu id reiicere, quod figmentum eſſe ait, vel dicendi prouinciam verbo tantùm ſuſceperit, nouiſſe parùm mea refert.

Ceterùm quibus hac in parte rationibus & Capitulo & Academiæ Pariſienſi gratificatur, iis planè configitur tota quanta eſt narratio, quæ Didaſcalici operis argumentum eſt. Sic enim diſſerit pagina 48. *Et reuera neque etiam apud auctores, qui illam narrationem referunt accuratiùs, vllus extat apex de eiuſdem canonicatu. De doctoratu nec veſtigium in Academia huius noſtræ perilluſtris monimentis inueniri poteſt.* Sic quoque dicimus, apud auctores, qui & Brunonis conuerſionem & Cartuſienſium inſtitutionem referunt accuratiùs, nullum extare apicem de Pariſienſi prodigio, quod illa pictura repræſentat. Accurati porrò illius rei ſcriptores alij non ſunt præterquam Bruno, æquales Brunonis vel ſuppares, qui nihil de tali prodigio memoriæ prodiderunt.

Verùm illa gratificatio tam ſecura non eſt, quin communibus auctoris ſui locis facilè interturbetur. Quod accideret, ſiquis ex pagina 28. argumentaretur, eos, qui decantatam toties narrationem referunt accuratiùs, non negare, quod alij de Doctore & Canonico Pariſienſi aſſerunt. ſed de hoc duntaxat ſilent, quod recitant. His adde, rationem, cur in Academiæ commentariis de rediuiui damnati

magiſterio nihil extet, non admodum vrgere. *Quia*, inquit, *eo tempore (etſi in Theologia magiſtri eſſent) nondum vſurpabantur doctoratus formulæ atque inſignia, quæ poſt Sorbonæ excitationem in vſu eſſe cœperunt.* Quaſi verò ſi cuiuſmodi poſtea fuerunt formulæ doctoratus & inſignia, tunc in vſu fuiſſent, funeſtam noui Doctoris damnationem repræſentaſſent. Formulæ doctoratus verba ſunt ſolemnia, quibus à Cancellario noui Doctores inaugurantur, inſignia ſunt doctoratus literæ, birretum, & ſpeciale quoddam genus veſtimentorum, quibus induuntur. hæc autem omnia quid ad rem conferant, facile eſt vel me tacente videre.

Quinta ratio palmaris.

QVINTAM rationem, quæ palmaris eſt, depromit pagina 42. & 43. *Dico tertiò, procul à vero eſſe, quod plerique pro indubitato axiomate ſemper ſupponunt, videlicèt, nullum fuiſſe penitùs auctorem extra Ordinem Cartuſianum, qui ante ſanctum Antoninum & eius ſequaces fecerit vllam prodigioſi huius euentus mentionem. Enimuerò factam non oſcitanter, nec obſcurè prorſus reperio à Cæſario Heiſterbacchenſi Ordinis Ciſtercienſis monacho, in Diœceſi Colonienſi, qui florere cœpit, vt ipſe teſtatur, ſub Clemente III. Hic ergo lib. 11. de morientibus cap. 49. hanc in Francia olim factam hiſtoriam, his verbis prorſus commemorat: Fuit, inquit, in regno Franciæ clericus quidam nobilis & diues, quæ duo ſæpè homines*

Digitized by Google

extollunt, multíſque vitiis ſubiiciunt, qui cùm mortuus eſſet, & in feretro poſitus, multitudine populi circumſedente, tam ex clericis, quàm ex laicis, ipſe ſe erexit cunctis audientibus in hac verba prorumpens: Iuſtus Iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum. quibus dictis ſe reclinans iterum non obdormiuit, ſed de requie tranſiuit ad laborem, de deliciis ad miſeriam. Sed hoc prodigium diuerſum eſſe ab illo Pariſienſi, quod Antoninus & Nauclerus referunt, & Didaſcali iudicio referunt accuratiùs, mutua contentio teſtatur. Imprimis Cæſarius non deſignat certum tempus, quo ſuum prodigium euenerit. *Fuit*, inquit; Antoninus verò deſignat annum ipſum, quo ſuum prodigium acciderit: *Anno*, inquit, *1086. habuit initium Cartuſienſium Ordo. habuit autem principium talis religio ex hoc ſtupendo euentu.*

Deinde Cæſarius non definit certum in regno Franciæ locum, vbi prodigium ſuum contigerit: *Fuit*, inquit, *in regno Francorum*: Antoninus verò certum in regno Franciæ locum definit, vbi prodigium ſuum contigerit: *Habuit autem*, inquit, *principium talis religio ex hoc ſtupendo euentu, cùm in ciuitate Pariſius floreret ſtudium.* At reſpondet ille pagina 45. *Francia (non Gallia modò, quæ latiùs longè patet) certa regio, in qua acta res eſt, ac vbi ſita eſt Lutetia, deſignatur.* quid tum poſtea? Ergo Cæſarius dum eodem libro 11. capite ſequenti hæc de quodam clerico ſcribit: *In eodem regno alius quidam clericus fuit, & ip-*

ſe vitioſus valdè, ſicut & ſuperior, qui cùm admonitus fuiſſet ab amicis de confeſſione, eſſétque ei allatum Corpus Domini à ſacerdote, accipere noluit, certam regionem, in qua acta res eſt, ac vbi ſita eſt Lutetia, deſignat. Ergo Cæſarius, vbi lib. 1. cap. 19. *regem Franciæ:* lib. 2. cap. 5. *regnum Franciæ:* cap. 18. eiuſdem libri *regem Franciæ:* cap. 34. eiuſdem libri *Philippum regem Francorum*, lib. 4. cap. 13. *Philippum regem Francorum*, lib. 5. cap. 21. *Philippum regem Franciæ, regem Francorum*, ſemel atque iterum: lib. 6. cap. 11. *Philippum regem Franciæ:* lib. 8. cap. 32. *regnum Francorum:* lib. 11. cap. 36. *regnum Francorum:* lib. 12. cap. 29. *regnum Franciæ* memorat, certam regionem, in qua acta res, ac vbi ſita eſt Lutetia, deſignat. ô miſerabile effugium! ſed ô ineruditam & parùm fauorabilem regibus noſtris Geographiam. Ergo Cæſarius vbi lib. 4. cap. 12. *Nobilis quidam*, ait, *monaſterium quoddam in Francia ſpoliauit*, certam regionem, in qua acta res eſt, ac vbi ſita eſt Lutetia, deſignat, & monaſterium Sancti Germani de Pratis, vel Sancti Martini de Campis intelligit. Ergo Cæſarius, vbi lib. 8. cap. 8. *In Francia*, inquit, *virgo quædam Chriſtum in ætate trium annorum videre deſiderans* vidit, certam regionem, in qua acta res eſt, ac vbi ſita eſt Lutetia, deſignat. Ergo Cæſarius, vbi cap. 42. eiuſdem libri: *In Francia*, inquit, *virginem quandam religioſam & incluſam Satanas grauiſſimè per ſtimulum carnis colaphizauit*, certam regionem, in qua acta res eſt, ac vbi ſita

eſt Lutetia, deſignat.

Tertiò, Cæſarius de clerico quodam nobili ac diuite ſermonem habet: *Fuit*, inquit, *in regno Francorum clericus quidam nobilis & diues*. Antoninus verò quendam eximium doctorem deſcribit. *Cùm*, inquit, *in ciuitate Pariſius floreret ſtudium, abundans tam multitudine ſcholarium ex variis regionibus, quàm copioſa caterua Doctorum ſolemnium in omni facultate, inter ceteros vnus erat ſingularis*. Hîc non quærimus an potuerit eſſe ſimul nobilis & diues ac doctus, quæ eſt ficta Didaſcali noſtri conciliatio, ſed an reipſa talis à ſuis auctoribus deſcribatur.

Quartò. Cæſarius indicat clericum ſuum nobilitate ac diuitiis in hominem ſuperbum euaſiſſe, *quæ duo*, inquit, *ſæpè hominem extollunt*. Antoninus verò eum ſignificat Doctorem, qui magna & ſcientiæ & probitatis exiſtimatione floreret. *Inter ceteros*, inquit, *vnus erat ſingularis, qui in eminentia ſcientiæ & probitate vitæ, & maxima fama pollebat*.

Quintò Cæſarius Pariſienſem Academiam hîc ne verbo quidem attingit, Antoninus verò illam prædicat: & tamen Cæſarius ille multis in locis & Pariſienſis Academiæ, & rerum in Pariſiẽſi Academia geſtarum meminit. quid referam quendam Gerlacum, qui lib. 1. cap. 18. *ad ſtudium Pariſios perrexit?* quid aliquem Morimundi Abbatem, qui cap. 32. eiuſdem libri, *iuuenis cum ceteris ſcholaribus ſtudebat Pariſiis?* quid Abbatem Philippum de Ottirburg, qui cap. 38. eiuſdem libri, *Ro-*

dolphum Traiectenſis Eccleſiæ ſcholaſticum Pariſiis legentem audiuit? quid iuuenem præ nimia contritione confiteri non valentem, qui lib. 2. cap. 10. *Pariſiis in ſtudio* verſabatur? quid rurſus ſcholarem illum Pariſienſem, qui lib. 3. cap. 27. *propter nimiam compunctionem loqui non poterat?* quid ſcholarem Pariſienſem, qui lib. 4. cap. 20. *eo tempore, quo Abbas noſter ibi ſtuduit verbum contumelioſum in ſanctum Abraham euomuit?* quid tempus illud, quo lib. 5. cap. 21. *manifeſtatæ ſunt hæreſes Albienſium in Pariſienſi ciuitate, in qua fons eſt totius ſcientiæ, & puteus diuinarum ſcripturarum?* quid plures magiſtros, qui hoc capite nominatim laudantur? quid Conſtantinum monachum Ciſtercienſem, qui lib. 6. cap. 12. *Pariſiis in ſtudio fuit?* quid famoſam illam de Thoma Cantuarienſi quæſtionem, quæ lib. 8. cap. 69. *Pariſiis inter magiſtros* Rogerum, & Petrum Cantorem *ventilata eſt?* quid clericum illum, qui lib. 9. cap. 60. *quando Pariſiis ſtuduit, horrendum ſatis ſpectaculum in Eccleſia ſanctæ Mariæ populo præbuit?* quid Gerhungum Bonnenſem ſcholaſticum, qui lib. 10. cap. 34. *veniens de ſtudio Pariſienſi hiſtoriam retulit ſatis mirabilem?* quid magiſtrum quendam Pariſienſem infirmum, qui lib. 12. cap. 54. *de glorificatione corporum hæſitabat?*

Sextò Cæſarius apertè ſignificat, clericum ſuum vno eodémque tempore dixiſſe: *Iuſtus Iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum, qui cùm mortuus fuiſſet,* inquit, *& in feretro po-*

Digitized by Google

ſitus multitudine populi circumſidente, tam ex clericis, quàm ex laicis, ipſe ſe erexit, cunctis audientibus in hac verba prorumpens: Iuſtus Iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum. quibus dictis ſe reclinans iterum non obdormiuit, ſed de requie tranſiuit ad laborem, de deliciis ad miſeriam. Antoninus verò diſertè aſſerit, Doctorem ſuum tribus diſtinctis diebus locutum eſſe: *Cùm autem*, inquit, *cadauer in feretro in Eccleſia ſecundùm morem eſſet delatum, & Officium celebraretur, ſurrexit, qui iacebat mortuus, & in loculo reſidens voce magna audientibus cunctis clamauit: Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum, quo dicto, vt priùs iacuit. Ex qua voce omnes territi obſtupuerunt, decreuerúntque pro illa die non tradere illud ſepulturæ, ſed die ſequenti. Iterum omnes conuenêre, cúmque iſtud per ciuitatem diuulgatum eſſet, die ſequenti multò plures conuenerunt ad ſpectaculum illud: Officium autem peragentibus circa feretrum illius, iterum defunctus reſedit in lectulo clamans: Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum, ex qua re conſternati ſunt omnes, qui aderant audientes, & vt exitum huius noſſent, ordinauerunt, vt ad ſequentem diem differretur ſepultura eius. Die ergo tertia tota penè ciuitas profluit, & in proſecutione Officij pro anima illius ſurrexit, & iam tertiò Doctor ille defunctus clamauit dicens: Iuſto Dei iudicio damnatus ſum.*

Septimò Cæſarius non ſcribit clericum ſuum dixiſſe ſe eſſe accuſatum, iudicatum, damna-

Digitized by Google

tum, dum ſtatutum ab Eccleſia pro mortuis Officium celebraretur; Antoninus verò id omninò ſcribit. quemadmodum modò recitata vtriuſque verba teſtantur.

Octauò Cæſarius neutiquam ſignificat, vtrum clericus, de quo loquitur, Eccleſiaſtica ſepultura priuatus fuerit necne; Antoninus verò apertè ſignificat, Doctorem ſuum Eccleſiaſtica ſepultura priuatum fuiſſe, ídque factum iudicio, quod communi omnium conſenſu habitum eſt.

Nonò Cæſarius non dicit, Brunonem Cartuſianæ religionis auctorem ſpectaculo, quod narrat, interfuiſſe; Antoninus verò dicit, ſpectaculo, quod deſcribit, Brunonem Cartuſianæ religionis auctorem interfuiſſe.

Decimò Cæſarius non affirmat, ex ſuo ſpectaculo Brunonem inſtituendæ religionis ſuæ occaſionem cepiſſe; Antoninus verò affirmat, ex ſuo ſpectaculo Brunonem inſtituendæ religionis ſuæ occaſionem cepiſſe.

Vndecimò Cæſarius non tradit prodigium ſuum Pariſiis contigiſſe; Antoninus verò tradit prodigium ſuum Pariſiis contigiſſe. attamen Cæſarius ille ſæpè mentionem facit memorabilium rerum, quæ Lutetiæ Pariſiorum acciderunt. Vnde lib. 2. cap. 15. prodigium narrat de Canonico, *qui Pariſiis in Eccleſia ſancta Dei genitricis Mariæ nuper obiit*. Item cap. 34. eiuſdem libri refert pœnitentiam Theobaldi, qui *erat in ciuitate Pariſienſi vſurarius*. Item lib. 6. cap. 19. ſcribit, quo modo vacante Pariſienſi Epiſcopatu magiſter Mau-

Digitized by Google

ritius creatus fuerit Antiſtes. Item cap. 23. eiuſdem libri loquitur de *Præpoſito Pariſienſi*, quem rex Philippus viuum defodi iuſſit, quòd mortuo doloſè vineam abſtuliſſet. Item lib. 9. cap. 43. de Mauritio Pariſienſi Epiſcopo hæc ſcribit: *Magiſter Mauritius Pariſienſis Epiſcopus ante mortem ſuam tam grauiter infirmatus eſt, vt materia rapta in cerebrum ſenſum ei ſubtraxerit.*

Poſtremò Cæſarius nihil habet de toto illo Lectionis quartæ vigiliarum pro mortuis negotio, quod poſt Antonini tempus ab anonymo vitæ Brunonis ſcriptore tractatum eſt: deinde à Petro Dorlando, Petro Sutore, Franciſco Puteano & Surio in eadem Brunonis vita retractatum, ſed ſine antiquioribus teſtibus retractatum.

Ex his autem omnibus diſcriminum generibus palam liquet Cæſarium non meminiſſe rei, quæ vel ad Brunonis conuerſionem, vel ad Cartuſianæ religionis initium pertineret, deinde nihil admodum eſſe, quo Epiſtolæ Didaſcalicæ ſcriptor ſuum ſibi veluti Palamedis inuentum gratuletur: *Perpende*, inquit, *quæſo, vir doctiſſime, quo præſtas, æquo libramine iudicij, hanc, quam hactenus à nemine noui (ingenuè dico) obſeruatam Cæſarij auctoritatem.* At profectò obſeruata eſt ab eo monacho, qui Pariſienſes Antiquitates publici iuris fecit, vel certè ab eo hiſtoriographo, qui eaſdem anno 1640. Lutetiæ recenſuit. hæ autem Antiquitates præ manibus ſunt omnium.

Ceterùm de auctoritate Cæſarij perinde

diſputamus, quaſi apud omnes conſtaret, Cæſarium accuratum eſſe ſcriptorem. Etenim Nicolaus Coeffeteus Pariſienſis Theologus, & Maſſilienſis Epiſcopus, in Reſponſione ad Myſterium iniquitatis aſſerit, hunc auctorem plenos fabulis dialogos edidiſſe, quod & iudicio Geſneri confirmat.

Concluſio Capitis tertij.

EX iis igitur, quæ ſuperiori capite diſſeruimus, operæpretium erit colligere quæ ſequuntur.

Primum eſt, cùm apud omnes ingentis omnino ponderis ſit vera traditio, Didaſcalicum auctorem veræ traditionis abuti patrocinio, vt in eo, quod Cartuſianæ religionis initium facit, imperitæ plebi blandiatur, eiúſque in ſuam opinionem conſenſum aucupetur. Vulgus enim, quod veram traditionem à falſa non diſtinguit, traditionis vbi nomen audit, de re quæ proponitur, ambigere religioni ducit. ſed his artibus & terriculis auctoritas traditionis dedecoratur, & innatæ, qua lucet, pulchritudinis inſignia deuenuſtantur. Vnica ſuis legibus quærenda & aſſerenda eſt veritas.

Secundum, ex picturis & imaginibus non antè ſolidum argumentum duci poſſe, quàm quo expreſſæ fuerint, certum tempus definiatur. Qui hoc negligit, & ſibi & aliis fucum facit. Nam pictores ad exemplar rerum, quæ ſuo tempore creduntur vulgò, vel geruntur, imagines ſuas efformare ſolent. Fingamus igi-

tur imaginem quæ centum, aut ducentos abhinc annos depicta ſit, conſectarium erit, rem; quæ exhibetur, & vti exhibetur, ita tunc creditam vulgò, vel geſtam eſſe. Vulgò dicimus, quia, vt ait poëta,

———pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Itaque cùm Didaſcalicus auctor ſuis picturis & imaginibus tempus non aſſeruit, neque iis fidem neque ſibi rationem aſſeruit.

Tertium, circa Lectionem quartam Officij mortuorum tam multa diſputata eſſe, quæ futilitatem argumenti demonſtrent, vt mirari ſubeat, cur auctor continuò in ſe receperit, quod de reſectis ex illa duobus vocabulis puer à magiſtellulis ſuis audierat: cur quod diuerſis Eccleſiarum ritibus dandum fuit, capto ex portenti neſcio cuius euentu conſilio dederit? Neque pergendum fuit Romam, vt in quarta Romanæ & Pariſienſis Eccleſiæ Lectione diſcrimen notetur, quod in coniunctiſſimis Eccleſiis notari potuit. Carnotenſis vt vidimus, Eccleſia cum Pariſienſi conſentit in exordio Lectionis illius quartæ, & vtraque Eccleſia diſſentit ab Romana. Meldenſis verò & Siluanectenſis cum Romana conſentiunt, & à Pariſienſi & Carnotenſi diſſentiunt. Meldenſis in Manuali, quod editum eſt anno 1546. & Siluanectenſis in Manuali quod anno 1525. ſed quid inde? celebratum forſan in puerorum ſcholis prodigium in Pariſienſi & Carnotenſi Eccleſia id obtinuit, quod in Meldenſi & Siluanectenſi obtinere non potuit? Nugæ.

Quar-

Digitized by Google

Quartum, auctori longè ſatius fuiſſe, rationem diſquirere cur Pariſienſis vſus ita tulerit, quàm quòd nugarum inſtitores ipſi tradiderant, in Epiſtola Didaſcalica explicare. Conſentaneam profectò rationem Ciruelus ſuggerit eo loci, quem in Reſponſione ad tertiam obiectionem laudauimus. Ea autem ſic ſe habet: *In Matutinis, quæ potiùs vigiliæ dicuntur, ſunt tres nocturni Pſalmorum, etiam voces mortui explicantium. Leguntur cum eis nouem Lectiones, vel de Iob, vt Parce mihi, &c. cap. 7. vel de libro Sapientiæ, vt Melius eſt ire, vel de quodam ſermone ſancti Auguſtini, aut alterius Doctoris Eccleſiæ, in quibus Lectionibus videtur ipſe mortuus loqui ad Deum Iudicem, & ad viuos eius hæredes & ſucceſſores, amicos & conſanguineos, petens à Deo miſericordiam & indulgentiam, à viuis ſuffragia & eleemoſynam.* Igitur nihil eſt admodum, cur Eccleſia mortuum, pro quo vigilias recitat, alloquatur, ſed contrà neceſſe, vt Deum pro mortuo ab iis, quæ tolerat, incommodis eximédo precetur. hoc autem cùm ita ſit, Rotomag. Eccleſia in Manuali, quod anno 1640. & Sagienſis in Manuali, quod anno 1634. excuſum eſt, potuiſſent non ſeſe aliarum Eccleſiarum ritui accommodare, ſed antiquum ſuarum vſum piè laudabilitérque retinere, quamquam in hac mutatione nihil mali.

Quintum, auctorem nihil prorſus adferre, quo probet id prodigij genus, ſi Lutetiæ vel alio in loco contigiſſet, iuſtam eſſe cauſam, cur duo ſcripturæ verba ex Lectione quarta,

Digitized by Google

quæ dicitur in mortuorum vigiliis, tolleretur. Adde quòd cùm Pariſienſis Ecclesia ſapientiſſimos Antiſtites ſemper habuerit, vt pag. 24. Didaſcalicæ Epiſtolæ ſcribitur, ij ſanè permiſiſſent nunquam, vt cum Lectione, quæ tota ſumitur ex ſacris literis, ſic ageretur. In odium vel gratiam damnati exordium ſacræ lectionis quis amputaret?

Sextum, Didaſcalicum auctorem pro ingenij ſolertia, ſcribendíque peritia viam aperuiſſe, qua in numerum Romanorum Pontificum Ioanna Papiſſa retineatur. Quo enim modo quartam rationem expoſuit, confirmauítque, eodem & exponi confirmaríque poteſt ea, quæ pro Ioannæ Papiſſæ aſſertione ex inferiori parte laquearis Eccleſiæ Senenſis depromitur. Ibi oſtenditur nobis celebris illa imaginum ſeu ſtatuarum ſeries, quæ à Petro ad Pium vſque ſecundum ſingulos Pontifices repræſentat, & inter eos Ioannam quæ Leoni quarto ſuccedit, & Benedictum tertium antecedit. Deinde qui Senam incolunt vel tranſeunt viri graues & docti, in illas imagines, & in eam præſertim, quæ Ioannam exhibet, oculos defigunt. Tum in eius, quem volueris, animum cadere non poterit, in loco ſancto ſedem mendacium tam pudendum potuiſſe inuenire. Poſtremò non putabit paſſuros tamdiu fuiſſe ſapientiſſimos Academiæ Senenſis Doctores, qui inſitæ pietatis affectu in celeberrimum huius vrbis templum crebrò concurrunt, illámque Ioannæ ſtatuam vel imaginem intuentur, ita ſibi, ſcholaſticis ac toti clero,

ac populo imponi tam atroci commento, ſed monituros fuiſſe religioſiſſimos celeberrimæ Eccleſiæ ſacerdotes tam pernicioſæ fictionis obducendæ. hæc ratio ex verbis Didaſcali ferè omnibus deducta par in vtroque negotio robur habet. Sed in negotio picturæ, quæ Pariſienſium Cartuſianorum clauſtrum occupat, aut nuper occupabat, cùm nullum robur habeat, nullum quoque habet in negotio imaginis, quæ in Senenſis Eccleſiæ laqueari Ioannam inter Pontifices repræſentat. Nempe quâ methodo Cartuſianorum picturam expunximus è numero rerum quæ veritatem teſtantur, eadem etiam Ioannæ imaginem tollimus è catalogo eorum, qui cathedræ Romanæ inſederunt. Sic ædificantur fabulæ, ſic deſtruuntur.

Septimum, Cæſarij teſtimonium perperam detortum eſſe in Antonini & aliorum opinionem, quæ veram Brunonis à ſæculo fugam commentis inſpergit. Hoc autem fieri non potuit, præterquam ab eo, cuius animus illa opinione præuentus omnia ſibi concinere vt vehementer deſiderat, ita & firmiter credit. Neque ad aſſerendam veritatem hîc valet illa diſputandi ratio, qua vt ex Cæſarij teſtimonio nonnihil lucretur, narratum ab illo prodigium in duas partes diſtribuit, *in ſubſtantiam rei, & eius circunſtantias.* Subſtantia rei in eo conſiſtit, quòd prodigium actum in regno Franciæ nec ſuo tempore actum referat: *Nihilominùs*, inquit, *totum dicit, cùm id actum in regno Franciæ aſſerat, nec ſuo tempore, ſed antè, per verbum, fuit, ſatis euidenter ſi-*

gnificet. Quas verò rei circunſtantias appellat, eas ita deſcribit: *Etſi non omnes adæquatè circunſtantias eat expreſſum, cùm annum non cõſignet, nec ſpecialem Galliæ locum, quibus iſta, quæ refert, euenerunt, diuitémque & nobilem dicat fuiſſe hunc reprobum, quæ alij à ſcientia & ſpectatæ auctoritatis efferunt inſignibus*. Hæc diſtinctio merus eſt Cypariſſi fructus. Pari modo quæ ad Ioannæ Papiſſæ hiſtoriam ſpectant, defenderentur, ſiquis eam diuideret in ſubſtantiam rei & eius circunſtantias. Subſtantia rei in eo verſatur, quòd Ioanna Papiſſa fuerit: quòd autem poſtea nominata fuerit Agnes, vel Gilberta, vel Iſabella, vel Margareta, vel Dorothea, natione Germana vel Anglicana, circunſtantiæ ſunt, quæ quamuis non cohæreant, rei tamen ſubſtantiam non afficiunt, aut immutant. hæc & alia id genus ἀνεμώλια exponere, confutare eſt.

Octauum, ſapientem Didaſcalum pagina 48. Antonini, Volaterrani, Naucleri, Franciſci de Puteo, Petri Blommeuennæ & Surij, imaginum & picturarum fidem eleuaſſe, quam illis pagina 25. 37. & 22. omni contentione adſtruxit. Quicquid enim apud illos auctores de Pariſienſi Canonico vel Doctore refertur, & in imaginibus ac picturis repræſentatur, pagina 48. vt fabuloſum reiicit. Certum eſt autem iſtud, quod reiicit, venire in ſplendidiorem partem ſcriptæ vel picturatæ narrationis, quam de Brunone, déque Cartuſienſium primordiis inſtituerunt. Itaque ſi ſplendidior narrationis & picturæ pars, eá-

Digitized by Google

que conficiendis terriculamentis aptior tollatur, reſidua narratio & pictura, à quibus quæſo ſuſtentabitur? Non ab Antonino, Nauclero & memoratis auctoribus, qui Didaſcali iudicio coniunctiſſimam vnius eiuſdémque rei narrationem tot inſignibus commentis aſperſerunt, niſi forſan quod apud illos auctores verum eſſe vult, verum ſit, & quod falſum, falſum quoque ſit. Non ab Cæſario Ciſtercienſi, quem, vt apparet, ab hac cauſa longè latéque remouimus. Ergo quærat alios, qui rem ſuam ſine fabulis ſcripſerint, vel pinxerint.

Nonum, eundem Didaſcalum ſuis de Lectione quarta vigiliarum pro mortuis in Eccleſia Pariſienſi coniectationibus eam, quam aſſerit, auctoritatem detrahere, cùm horrendum illius damnati ſpectaculum in Canonico Pariſienſi contigiſſe negat. Qui enim tempore Brunonis ab Eccleſia Pariſienſi factam in ea Lectione mutationem inuexerunt, ideo inuexerunt, quia pro Canonico Pariſienſi damnatum illum habuerunt. Teſtatur hoc publicus rumor, quem Didaſcalus cum Cicerone ſuo inſtar oraculi ducere ſe profitetur. Quinetiam ex eo alia fabula manauit, qua huic damnato Capellam in Eccleſia Pariſienſi vulgus imperitum aſſignauit, quæ & Capella dicitur, & quaſi digito monſtratur. Sed puerilis eſt fabula & ignorantiæ plena. Nam grande illud & auguſtum Eccleſiæ Pariſienſis ædificium longo poſt Brunonem tempore conſtrui cœpit. Qua de re ſic Robertus de Monte in Ap-

Digitized by Google

pendice Sigeberti ad annum 1177. *Mauricius Epiſcopus Pariſienſis iam diu eſt, quod multùm laborat, & perficit, (* fortè proficit *) in ædificatione Eccleſiæ prædictæ ciuitatis, cuius caput iam perfectum eſt, excepto maiori tectorio. Quod opus ſi perfectum fuerit, non erit opus citra montes cui apertè debeat comparari.* Nos autem, qui conſequenter loqui ſtatuimus, & coniecturas de Lectione quarta, & damnationem Pariſienſis Canonici, qui Brunoni cauſa fuerit ſecedendi in eremum, & Capellam damnati, & quicquid demùm his tribus inædificatur, inter anicularum deliramenta collocamus.

Decimum, ab illo Doctore Pariſienſi, quem Raynaudus conuerſionis ſancti Brunonis cauſam fecit, inter Didaſcalum & ipſum diſcrimen intercedere tam latum, quàm quod latiſſimum. Sic enim Didaſcalus ſcribit pagina 48. Epiſtolæ ſuæ: *Vnum eſt, quod ſummo conſenſu regia Lutetia, vti figmentum reiicit, quòd nimirum fuerit ille reprobus Canonicus aut Doctor Pariſienſis.* & paulò pòſt: *De doctoratu nec veſtigium in Academiæ huiuſce noſtræ perilluſtris monimentis inueniri poteſt.* Raynaudus verò ita in Antemurali pagina 33. *Nam quamuis iam olim Canonici Pariſienſes, eum Doctorem in cœtum ſuum intrudi expoſtulauerint, & iure expoſtularunt, cùm falsò in eorum album ſit relatus, qui Doctor duntaxat Pariſienſis fuerat; tamen reliqua de eo narratio apud antiquos omnes rata fuit.* Sic Deo ita permittente, fieri non potuit, vt quod falſum

eſt, ab iis omnibus, qui vel maximè cuperent, aſſeratur vt verum. In hoc diſcrimine Didaſcalus nobiſcũ pugnat aduerſus Raynaudum, quamuis quibus armis pugnat, ipſe in ceteris aſſertionibus ſuis expugnetur, vt alibi oſtendimus.

Capvt IV.

Quæ veræ Cartuſienſium origini ſuperducta ſunt, quà ſilentio, quà examine plurium hiſtoricorum recentiorum reiecta.

Qvoniam verò nonnulli ſunt, qui in recentioribus hiſtoricis fidem omnem ponant, ſtatuimus in illorum gratiam multos indicare, quorum alij probè cognitam de narratione Antonini & ſequacium opinionem ſuo ſilentio contempſerunt, alij verò eam ſuis libratam ponderibus abiecerunt. Quos autem indicabimus, omnes ducentis abhinc annis vixerunt, quorum interuallo de triplici vel vnica Doctoris anaſtaſi narratio, & ex ea pulſus ad ſolitudinem Bruno, quia cùm ad ſcribendum tum ad pingendum ſplendida videntur prodigia, multorum libros, & Cartuſienſium parietes & clauſtra occuparunt, & continuò Doctoris vnius damnationem, & alterius à ſæculo fugam, & quæſitam inde ſalutem legentibus obiecerunt.

1. Ioannes Auentinus lib. 5. Annalium Boiorum familiam ducet: *Eadem*, ait, *tempeſtate Bruno genere Teutonicus in Agrippinenſi Colonia ortus myſta, atque ludimagiſter Remorum apprimè doctus, Cartuſianorum maximè arduam diſciplinam inſtituit.*

2. Baptiſta Platina in Vrbano II. *Sunt etiam*, inquit, *qui ſcribant Cartuſienſes religioſos huius Pontificis tempore originem habuiſſe, alij autem Victoris III. hoc adſcribant.*

3. Magnum Chronicum Belgicum, quod in annum circiter 1474. deſinit, de Brunone hæc tradit: *Anno Domini 1084. anno Imperij Henrici huius nominis quarti 28. Pontificatus verò Gregorij VII. anno 11. Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia, literis admodum eruditus, Remenſis Eccleſiæ canonicus & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ fundat, propoſitúmque monaſticæ conuerſationis ſatis arduum inſtituit, cuius ſancti propoſiti cooperator bonæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus ab eodem Brunone ſumpſit habitum monaſticum, cunctiſque per mundum habitantibus inſigne exemplum præbuit. (Hæc Vincentius.) In quodam Chronico ſic habetur. Anno Domini 1086. Pontificatus Victoris huius nominis tertij primo Ordo Cartuſiæ cœpit, in quo ſunt Priores. Item anno 6. Pontificatus ſancti Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi (qui Pontifex annis 52. Epiſcopus fuit) ſeptem ſunt fratres, quorum vnus dictus eſt Bruno.* & paulò pòſt: *Habent verò Cartuſienſes 179. Priorias, quorum Ordo, teſte beato Bernardo, inter om-*

nes Eccleſiaſticos Ordines primatum tenet, non ratione temporis, ſed rigoroſitatis. vnde eum vocat ſpecioſiſſimam columnam Eccleſiæ. Verùm quia propter nimiam abſtinentiam paucis tolerabilis erat, vt diu paruus maneret, poſtea ab Eccleſia moderatus fuit, nec vnquam à ſancto propoſito cecidit ſingulariter à Spiritu ſancto præſeruatus vſque hodie. Hæc ex Chronicis.

4. Vuernerus Roleuuinkius Colonieſis Carthuſianus in Faſciculo temporum ætate 6. ad annum 1084. *Ordo Cartuſienſium ſanctiſſimus incepit hoc tempore per Brunonem virum natione Almanum, de Colonia Agrippina, magiſtrum in Theologia, cum ſex aliis venerabilibus viris in Diœceſi Gratianopolitanenſi. Hic Ordo teſte beato Bernardo, inter omnes Eccleſiaſticos ordines primatum tenet, non ratione temporis, ſed rigoroſitatis. Vnde ipſe vocat eum ſpecioſiſſimam columnam Eccleſiæ. Verùm quia propter nimiam abſtinentiam paucis portabilis erat, & ne diu paruus maneret, poſtea ab Eccleſia moderatus fuit, nec vnquam à ſancto propoſito cecidit ſingulariter à Spiritu ſancto præſeruatus vſque hodie.* Hæc tantùm in editione Piſtorij, quæ apud eruditos omnes multò caſtigatior prodiit, quàm antiqua, vbi iis, quæ retulimus, iſta præponuntur fabuloſa: *Pariſius horribile miraculum contigit de quodam magiſtro magni nominis, qui ter exclamando dixit ſe damnatum, quapropter multi ſolemnes viri ſæculo abrenunciauerunt, & diuerſas religiones inſtituentes celebre nomen poſteris reliquerunt & exemplum.*

Digitized by Google

Quod antea vni Cartuſianorum Ordini ſingulare fuit apud Didaſcalum, hoc loco diuerſis Religioſorum Ordinibus commune factum eſt. Sed hoc ex nugigerulis aut nugiuendis mutuatum Faſciculo ineptiſſimus ſcriba inſeruit, cùm primùm ederetur. Neque enim arbitror tam imperitum fuiſſe Roleuuinkium, vt iſtud deſcripſerit, aut Piſtorium expunxiſſe, quod in alicuius notæ exemplari comperiſſet.

5. Philippus Bergomenſis in Supplemento Chronicorum ad annum 1084. *Bruno vir ſanctus & clariſſimus Philoſophus atque Theologus, natione Teutonicus ex vrbe Colonia, Remenſis Eccleſiæ Canonicus, ſcholarúmque apud Pariſium magiſter, iiſdem temporibus cùm in Galliis legendo, ſcribendo & diſputando clariſſimus haberetur, relicto ſæculo & pompis eius cum ſeptem viris doctiſſimis in eremum Cartuſiæ ſeceſſit, ibique monaſterio ſtructo, propoſitúmque monaſticæ conuerſationis ſatis arduum teſte Vincentio Gallo lib. 26. ibidem inſtituit. Cuius ſancti propoſiti Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, qui ab eodem Brunone habitum monaſticum accepit, auctor fuit.* & poſt pauca: *Anno 1084. Ordo Cartuſienſis in Galliis hoc anno in Diœceſi Gratianopolitana à Brunone Theologo viro ſanctiſſimo initium ſumpſit, qui, Bernardo teſte, inter omnes Eccleſiaſticos Ordines primatum tenet, non ratione temporis, ſed rigoroſitatis, & propterea eum ſpecioſiſſimam Eccleſiæ columnam appellat.* quod hoc loco Bergomenſis omiſit, ei valdè fabuloſum videri debuit, cùm accuratus ſcriptor nec ſit,

Digitized by Google

nec habeatur. Hocipſum ſignificat, vbi Brunonem Pariſiis ſcholarum præſidem, & ſcribentem diſputantémque inducit, quaſi Remis ſcholarum rector fieri, eſſéque non potuerit, aut vt eſſet, illius ætatis conditio non pateretur. Deinde hoc ipſum quoque ſignificat, vbi ſeptem Brunonis ſocios facit doctiſſimos. Igitur quæ huius auctoris indiligentia, nobis in alia rerum conditione noceret, in hac, vt apparet, prodeſt quamplurimùm.

6. Ioannes Laſiardus Pariſienſis Celeſtinus in Epitome vniuerſalis hiſtoriæ cap. 193. *Hoc tempore*, inquit, *Bruno natione Colonienſis, literarum non imperitus, Remenſi: Canonicus & ſcholarum magiſter, relicto ſæculo eremum Cartuſiæ ingreditur, cuius propoſiti cooperator exiſtens ſanctus Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus poſteris bene viuendi exemplum dereliquit.*

7. Robertus Guaguinus Ordinis ſanctæ Trinitatis Pariſienſis Religioſus, lib. 6. Hiſtoriæ Francorum, vbi quorumdam Ordinum origines & incrementa perſequitur: *Cartuſienſium quoque*, inquit, *duriſſima auſteritas & parcimonia eodem ferè tempore dum annus ſalutis ageretur 1132. ſuæ ſanctitatis lumen exhibuit.*

8. Paulus Æmilius lib. 5. de rebus geſtis Francorum, quas Lutetiæ ſcripſit, *Orti ſunt*, inquit, *Cartuſienſes anno ſalutis 1084. Conditor eorum extitit Bruno ciuis Agrippinenſis, Remorum Canonicus, idem & ſcholarum rector. In finibus Gratianopolitanorum eremus ad incolendum delecta, Hugone eius ciuitatis Pontifice viro ſancto.* Efficax momentum in ho-

rum trium auctorum conſilio ſtatuendum eſt, qui non confutatione ſed ſilentio digna cenſuerunt, quæ ſuo tempore vulgus de Cartuſienſium initiis circumferebat.

9. Ioannes Tritemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 1086. *Hoc ipſo*, inquit, *anno Ordo Cartuſienſis in Diœceſi Gratianopolitana fundari cœpit, quod ſic accidit: S. Hugo Epiſcopus tunc Gratianopolitanus vidit per ſomnium in ſolitudine Cartuſiæ Deum ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem, ſtellas etiam ſeptem ducatum ſibi præſtantes itineris: & ecce ſanctitatis eius odore attracti ad ipſum veniunt ſeptem viri, qui omnes vno deſiderio ſuccenſi locum vitæ eremiticæ congruum quærebant, necdum repererant. Horum primus fuit Bruno ex Colonia Agrippina oriundus magiſter in Theologia Pariſienſis, vir autem religione, ſcientiáque literarum famoſiſſimus, alij quatuor literati, & duo laici, quos ſanctus Hugo gratanter ſuſcepit, & voti compotes fecit. Ipſo namque conſulente, adiuuante, comitante, Cartuſiæ ſolitudinem intrantes manſiones ſuo propoſito neceſſarias extruxerunt.* Optimè quidem, niſi quòd popularem de magiſterio Pariſienſi errorem ſequatur.

10. Iacobus Vuimphelingius in Epitome rerũ Germanicarum cap. 29. *Sunt*, inquit, *qui ſcribant Cartuſienſes eo tempore à quodam Brunone Agrippino Germano originem habuiſſe. ô nobilem auctorem ſanctiſſimæ religionis, quæ numquam à legibus ſuis & bona inſtitutione cecidit, ſicut ceteræ ferè omnes miſerè labaſcunt.*

11. Chriſtianus Maſſæus lib.1 Chronicorum mundi: *Anno*, inquit, *1086. ſumpſit initium Cartuſienſis Ordo, quem inſtituit ſanctus Bruno, natione Colonienſis, Canonicus & magiſter ſcholæ Remenſis, cooperante beato Hugone Gratianopolitano Pontifice, qui tandem relicto Pontificatu ſub ipſo Brunone monachus factus eſt.*

12. Michael Bucchingerus Colmarienſis in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſub Pontificatu Victoris III. *Hoc tempore Ordo Ciſtercienſium initium ſumpſit anno 1080. intima veſte vtuntur cilicina Cartuſiani noſtra tempeſtate, ſumma pallio nigro, ſubter candida toga, tegminéque capitis cucullo, carnibus nunquam veſcuntur, ſexto plurimùm hebdomadæ die, pane & aqua ieiunium agunt, in cubiculis, quæ veluti ſacella habent, ſoli edunt. certis tamen feſtis diebus vnà duntaxat prandent, ſilentium eis perpetuum: ſanctiſſimi huius inſtituti extitit Bruno, homo ex Colonia Agrippina.*

13. Sebaſtianus Brantus ſequitur in Carmine ſapphico benè longo, quod de Brunonis & Cartuſienſis inſtituti laudibus cecinit apud eundem Bucchingerum, ſed inter canendum ne vnus quidem verſus excidit, qui Pariſienſi prodigio fidem vllam præbeat. Nullus opinor negabit idoneam eſſe pangendo carmini materiem, ſed auctor veritatis, quàm artis potiorem rationem habuit.

14. Ioannes Tillius in Chronico de rebus Francorum ad annum 1084. *Initium*, ait, *Ordinis Cartuſienſium auctoribus Brunone Agrippinenſi*

Digitized by Google

ciue, ſcholarum magiſtro, Remorúmque Canonico, & Hugone Gratianopolitanorum Epiſcopo.

15. Papirius Maſſonus lib. 3. Annalium Francorum in Philippo primo: *Anno*, inquit, *inſequenti, (1086) Ordo Cartuſianorum in Gallia ortus eſt. Cartuſia appellantur à Cartuſia monte iuxta Gratianopolim Allobrogum, vbi Bruno tranquillam ſedem ſibi delegit: Bruno, inquam, non ignobilis Theologus, vt monimenta oſtendunt. Ex Chronico Sigeberti, patria Colonienſem illum fuiſſe ſcimus. Ex Canonico Remenſi ac ſcholarum magiſtro princeps monachorum factus eſt, Lauduino Italo, & aliquot præterea ſociis. Petrus Cluniacenſis cognomine Mauriacenus, qui Craſſo & Ludouico vixit, Ordinis huius auctores Brunonem & Lauduinum nominat, cúmque originem, inſtitutum ac mores Cartuſianorum accuratiſſimè deſcribat, nullam Canonici Pariſienſis mentionem facit, qui inter ſolemnes inferias dicitur reſpondiſſe mortuus.*

16. Guillelmus Paradinus lib. 2. Chronici Sabaudiæ cap. 36. *Ad annum*, ait, 1086. *in lucem prodiit Cartuſianorum Ordo; cuius auctor fuit magni nominis Theologus ac Philoſophus Colonienſis, nomine Bruno; qui Pariſiis, vbi docebat, ingentem auditorum ſuorum numerum in ſtupendam ſolitudinem duxit prope Gratianopolim, quæ ſolitudo nunc appellatur Cartuſia, vbi cœperunt vitam viuere ſanctiſſimam; & mira cum auſteritate coniunctam.* Hæc ille Gallicè, quæ Latina fecimus. Bruno non Pa-

Digitized by Google

riſiis, ſed Remis docuit, neque etiam Pariſiis magnum auditorum numerum, ſed Remis ſeptem tantùm homines in eremum duxit. Paradinus è vulgari fabula iſta duo ceteris procul abiectis in ſe recepit.

17. Seuerinus Binius Colonienſis 2.part.tom. 3. Conc. generalium in Vrbani II. vita: *Brunonem*, inquit, *Cartuſianorum inſtituti auctorem ſexto anno, quàm ille ſolitudinem Cartuſianam incoluiſſet, ad ſe accerſiuit, biennio apud ſe retentum dimiſit anno 1095. quando ab Vrbano diſcedens in Calabriam profectus inſtitutum ſuum propagauit.* Hæc ille, cui quod voluit, Polycarpus impoſuit.

18. Cæſar Cardinalis Baronius in Annalibus Eccleſiæ ad annum 1086. *Hoc itidem anno Cartuſiæ ſolitudo habitari cœpta à ſancto Hugone Epiſcopo Gratianopolitano, ſanctóque Brunone auctore ſancti inſtituti eiúſque ſociis. Ex quo loco & nomen accepere, vt Cartuſiani monachi dicerentur. Quod ad tempus ſpectat, cùm ſuperiùs dictum ſit, ex eiuſdem ſancti Hugonis vitæ actis, ipſum anno 1080. creatum fuiſſe Epiſcopum Gratianopolitanum, poſt duos verò annos adiiſſe Cluniacenſes, ibique moratum vnum annum inde ad Epiſcopatum reuerſum, in eo tranſegiſſe tres annos, planè inuenies ſexto anno à ſua ordinatione cum ſociis, hoc nempe anno (1086.) petiiſſe Cartuſiam. quomodo autem ſexto anno poſt incolatum Cartuſiæ idem Bruno vocatus fuerit ab Vrbano II. ab eóque aliquando retentus, ſuo loco dicetur.*

Idem ad annum 1092. *Porrò primarium ip-*

ſorum vitæ ordinem magna cum admiratione & laude ſcripſit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, & miracula quædam ab eis edita narrat. An autem Baronius ignorauerit id quod de rediuiuo Doctore iactatur, nemo eſt opinor, qui auſit affirmare.

19. Arnoldus Boſtius in opuſculo de præcipuis Cartuſianæ familiæ Patribus cap. 1. de ſancto Brunone: *Bruno*, ait, *natione Colonienſis Doctor ſacrarum literarum celebris & facundus ex inſignis Eccleſiæ Remenſis Canonico ſacri Ordinis Cartuſienſis Inſtitutor, & Prior primus, honeſtatis, grauitatis, ac totius maturitatis quaſi quoddam ſimulacrum reſplenduit.* At de damnato Canonico vel Doctore ne verbum quidem.

20. Dionyſius Petauius in Rationario temporum lib. 8. part. primæ cap. 19. *Tulit*, inquit, *& doctrinæ pariter ac ſanctitatis laudem hoc ſæculo ſanctus Bruno Colonienſis & Remenſis Eccleſiæ Canonicus ac ſcholarum magiſter, à quo Cartuſienſium Ordo inſtitutus eſt anno 1086. adiuuante Hugone Gratianopolitano Præſule ſanctiſſimo, quorum exordia deſcribit Petrus Cluniacenſis, necnon Guibertus Abbas Nongentinus, qui ſancti Brunonis æqualis fuit, in tractatu de vita ſua; neque Canonici illius Pariſienſis meminerunt ambo, qui poſt obitum rediuiuus denuntiatione feralis de ſe iudicij circunſtantes exterruiſſe fertur, vti nec Sigebertus, qui eadem vixit ætate.* Hæc illi omnes qui ſine dubio famoſam illam de rediuiuo Doctore vel Canonico narrationem nouerant, ſed alij

alij vt falſam & memoratu indignam prætericrunt, alij magno cum iudicio confutarunt.

Concluſio Capitis quarti.

EX iis igitur, quæ ſuperiori capite retulimus, concludi facilè poſſunt, quæ ſequuntur.

Primum eſt, firmiſſimum argumentum eſſe, quod ex tot illuſtribus diuerſarum gentium ſcriptoribus deductum eſt. Siquidem illi rem hiſtoricam ex munere tractarunt, nec vt plures coætanei ; qui Gerſonem & Antoninum ſecuti opponuntur, habendis ad populum concionibus vacarunt. In quibus id fecêre, quod fieri ſolitum eſſe Gerſo nobis antea declarauit. Qui verò hiſtorici perſonam ſuſtinuerunt per hocce tempus, non potuerunt, niſi ex odio falſitatis Pariſienſe prodigium omittere, aut memoratum ex amore veritatis repudiare. Non inficior tamen aliquos extitiſſe hiſtoricos, qui inexploratis Antonini, vel recentiorum vitæ Brunonis auctorum narrationibus ſeſe addixerint. ſed his noſtri auctoritate, doctrina, & iudicij acrimonia præpollent. Et ſic confecta res eſſet, quamuis daremus nondum confectam auctoritate eorum, quos cap. 1. retulimus. vnde fit, vt hocce caput mantiſſæ loco haberi poſſit.

Alterum, quæ ad duas Faſciculi temporum editiones animaduertimus, planum facere, quanta cum diligentia euoluendi ſint auctores ; & ij maximè, qui Chronicorum libros

Digitized by Google

ediderunt, cùm in his longè faciliùs, quàm in aliis quædam à deſcriptoribus interſerantur. Deinde quàm ridiculum ſit figmentum illud, quod Faſciculo temporum dediti fabulis homines interſeruerunt. quaſi plures ſint Religioſorum Ordines, qui ad annum 1084. ſuam originem referant, atque ex occaſione Pariſienſis cuiuſdam prodigij referant. Hæ tamen & id genus apologorum narrationes defenduntur communibus Epiſtolæ Didaſcalicæ locis, quibus nullum falſi ac veri diſcrimen ſtatuitur, vti iam ſignificatum eſt.

Tertium, vt Antonini, Naucleri & Volaterrani, qui neminem ex antiquioribus adſtipulatorem citant, auctoritas confirmetur, in eadem Epiſtola de Paulo Æmilio inutiliter ſcripta eſſe, quæ ſequuntur pagina 26. *Paulus Æmilius, qui non ita diu, magna cum laude Regum noſtrorum geſta contexuit, ſimplici narratione decurrens, hiſtoriam illam enunciat puro quidem & elimato eloquio, at abſque vlla auctorum deſignatione, à quibus quæ ſcribit, mutuatus eſt. Nemo tamen illi fidem derogat, ſed paſſim ei creditur; eo quòd de docto viro, eius ſimiles non aliter cenſeant, quàm habuiſſe ſuos vades, nec quicquam ab illo poſteris, quod non munitum inuenerit, certis aut ſaltem probabilibus cuiuſque rei geſtæ, quam memorat monimentis.* Verum quidem eſt Æmilium non laudare auctores, à quibus ſuam de Brunone narrationem acceperit, ſed eos laudare potuiſſe omnes, quorum teſtimonia capite primo retulimus. Antoninus verò nullos narrationis

Digitized by Google

ſuæ ſponſores laudare potuit, qui Brunonis æquales vel ſuppares fuerint. Neque auctor Operis Didaſcalici ex vetuſtioribus attulit vllum, in quem quæ Antoninus de Pariſienſi prodigio ſcripſit, vt in legitimum vadem transferantur. Ergo hiſtoricus pluribus ſæculis remotus ab ea re, quæ à ſe vt geſta narrantur, ſi vetuſtiorem narrationis ſuæ teſtem nullum habet, contemnitur, & narratio illius in album fabularum refertur. Hoc autem in Paulum Æmilium quî quadrare poteſt? Ceterùm figmentum illud, quod de Pariſienſi prodigio in prima Faſciculi temporum editione legitur, ſuſtinet hic communis locus, quo Antonini de Brunonis cõuerſione narratio ex Paulo Æmilio confirmatur. vt itentidem obſerues, nullam ferè eſſe falſitatem, quæ communibus Epiſtolæ Didaſcalicæ locis non ædificetur, nullam ferè veritatem, quæ non deſtruatur. Hoc autem dictum ſit ſaluo illius honore, qui Epiſtolam Didaſcalicam ſcripſit, & breuiori forſan tempore, quàm oportuit, ſcripſit, iis occupatus negotiis, quorum meminit ad calcem Epiſtolæ ſuæ.

Digitized by Google

Capvt V.

Domnus Polycarpus malæ in ſcribendo fidei, & Theophilus Raynaudus ſummæ in exſcribendo credulitatis conuincuntur.

AD confirmationem veritatis hiſtoricæ, quam aſſerimus, plurimùm refert animaduertere, Raynaudum haud eam, quæ decuit, operam in ſcribendo diligentiámque poſuiſſe. Si enim poſuiſſet, neque ea quæ ſcripſit omnia, ſcripſiſſet, neque tam exultanter ſcripſiſſet. Sic igitur in Antemurali ſuo continuè ſubditiis, quæ caput primum concludendo laudauimus: *Vltra*, inquit, *ſexaginta auctores in eam rem appendit Cartuſienſis familiæ clarum lumen domnus Polycarpus de la Riuiere. & quod eſt argumentum ineluctabile, ac veluti rupes, in quam illiſa fortiâ quæque ingenia tanquam teſtæ fragiles obterantur. Profert tabulas fundationis domus maioris Cartuſiæ editas anno milleſimo octogeſimo quarto, eo ipſo anno, quo Ordo eſt conſtitutus. In iis tabulis narratio, quæ hodie in controuerſiam vocatur, diſertè ac liquidò expreſſa habetur, eúmque fuiſſe ſancto Brunoni ſecedendi ſtimulum proditur. Idem habet codex cœnobij Grandimontenſis ſcriptus anno 1115. & Chronicum Thomæ Morimundi, cuius obitus conſigna-*

Digitized by Google

tur anno 1150. Alij intra idem ſæculum ſcriptores atteſtantur narrationi, pro qua ſatagimus, annotati à laudato Cartuſianorum hiſtorico, cum quibus nos tantò pòſt nati ac ſimplices deludi ſecurum exiſtimamus potiùs quàm cum fortibus ingeniis aduerſus narrationem tot ſubnixam teſtimoniis conclamemus. Nomen ipſum miſeri Doctoris iam diaboli in eo codice Cartuſienſis inſtitutionis ſignatim profertur Raymundus Diocres. Id quod confirmat Erardus Vinheim. Quod autem ſincera veritatis liquidius ſignum, quàm auctores tunc viuentes talia de certo homine per omnia adiuncta, ipſúmque nomen ſuum deſignato ſcriptis commiſiſſe? Sed ne cui negotium faceſſat ingens ille auctorum numerus, eo iam recenſendi ſunt ordine, quo Polycarpus recenſuit lib. 2. Diſ. Angel. Diſcurſu 8. *Codex vetuſtiſſimus. MS. fundationis maioris Cartuſiæ: vetuſtiſſimus codex MS. cœnobij Grandimontenſis apud dominum de Cordes ſcriptus circa annum 1115. Thomas Morimundus in Chronicis, quæ deſinunt in annum 1150. quo obiit Thomas. Auctor anonymus vitæ ſancti Stephani Obaſinæ Abbatis in Diœceſi Lemouicenſi ad annum 1140. Fragmentum hiſtoriæ Anglicanæ incerti auctoris, qui viuebat anno 1180. Chronicum Albanum, Matthæus Paris in parua hiſtoria, Hermannus Petra ſerm. 12. in Orationem Dominicam, Iacobus Gruitordius cap. 6. Speculi Sacerdotum, Ioannes de Indagine in Chronicis, Henricus Kalkarienſis de origine Cartuſienſium, Vuernerus Roleuuink in Faſciculo temporum, Ioannes Gerſon,*

Digitized by Google

D. Antoninus Epiſcopus Florentinus, Volaterranus lib. 2. Anthropologiæ, Ioannes Nauclerus, Ioannes Murmellius Ruremundẽſis in ſuis verſibus. Poëta anonymus de illuſtri Cartuſianorum inſtitutione, Polydorus Virgilius, Henricus Glareanus Poëta, Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ, Ioannes Carion lib. 3. Chronici, Hartmannus Schedel, Arnoldus Boſtius de viris illuſtribus Cartuſianorum, Genebrardus lib. 4. Chronologiæ, Hieronymus Platus lib. 2. de bono ſtatu religionis cap. 22. Iacobus Suarez à ſancta Maria ſerm. 22. in Apocalypſim, Annæus Robertus rerum iudicatarum lib. 2. cap 2. Ioannes Rouſſerius de origine Franciſcanorum, Binius 2. part. tom. 3. Conciliorum generalium, Franciſcus Menenius de ſymbolo & origine equitum Chriſt. Franciſcus Modius in Ordine Eccleſiaſtico, Iacobus Brullius in Theatro Antiquitatum Pariſienſium, Alexander Fantinus & Matthæus Cremonenſis in vita ſancti Brunonis, Franciſcus de Puteo, Petrus Blommeuenna, & Surius in vita Brunonis, Petrus Dorlandus in Chronico Cartuſienſi, Petrus Sutor de vita Cartuſiana, Petrus à Groteria in Chronico, Martinus Delrio lib. 2. Diſquiſ. mag. Thomas de Trugillo tom. 4. theſauri concionum, Bartholomæus Medina in Summula de peccatis, Benedictus Falco lib. de excellentia Neapolit. Iacobus Billius libro de Iudicio finali, Paulus Moriſius de origine religionum, Gabriel Prateolus tom. 1. Hiſt. Eccleſ. Ioannes Bonifacius lib. 4. hiſt. Virginis cap. 14. Franciſcus Belleforeſtius tom. 1. Coſmographiæ, Franciſcus Haræus de Vitis Sanctorum, Petrus

Digitized by Google

Ribadeneira, Bellarminus lib. 2. de Purg. cap. 8. Antonius Sabellicus, Philippus Bergomas, Iacobus Vuimphelingius in hiſtoriis, Erardus Vinheim in Sacrario vrbis Agrippinæ, Vincentius Bellouacenſis in Speculo, Magnum Chronicum Belgicum ad annum 1082. Humbertus Dominicanorum quintus Generalis in ſerm. ad diuerſos Status, Magnum Speculum exemplorum, Dionyſius Cartuſianus, Henriques de fine hominis.

Verùm his in auctoribus cùm ſint alij, qui mala fide laudantur, alij, qui bona, nunc videndum, quinam mala fide laudentur, deinde cuia ſit auctoritas eorum, qui bona fide citantur. Porrò genera duo ſunt auctorum, qui mala fide laudantur, alij ſunt inediti, editi alij. Inter ineditos autem primùm occurrit is, qui chartam fundationis maioris Cartuſiæ ſcripſit. In hac enim charta ne vnus quidem apex eſt de Doctore vel Canonico Pariſienſi, qui poſt mortem rediuiuus denuntiatione feralis de ſe iudicij Brunonem in eremũ pepulerit, ſed ibi ſola exprimitur facta ab Hugone donatio illius loci, in quo monaſterium ædificatum eſt. Hoc totum Reuerendiſſimus Prior Generalis ingenuè profeſſus eſt domino Nubleo Cauſidico Pariſienſi, viro cum primis erudito & humaniſſimo, qui ex illo patre menſem abhinc vnum quæſiuit, num charta fundationis maioris Cartuſiæ contineret id, quod continere Polycarpus ſcripſerat in libro, quem laudauimus. Heu priſca fides!

Et verò quamuis certa fingeretur illa de Do-

Digitized by Google

ctore narratio, nihil tamen prorſus eſſet, cur in genuino, ſi extet, codice fundationis deſcriberetur. quid enim foret alienius à publico more, qui in cõficiendis eiuſmodi inſtrumẽtis ſeruatur? Tũ vt iſta mittantur, ſiquis fundationis codex in Cartuſia reperiretur, qui narrationem illam contineret, is ſine dubio recenti manu, & charactere ſcriptus, interpolatúſque eſſet. Sed hoc veritati, quæ mendacio prior eſt, nihil officeret apud æquos rerum æſtimatores. Et certè poſt ætatem Franciſci de Puteo, qui Cartuſiam ad annum 1520. rexit, in eo codice factam fuiſſe fraudem, non vana eſſet coniectura. Hic enim Cartuſiæ Prior generalis in ea, quam confecit Brunonis hiſtoria, nihil habet de tali codice, qui, vt apparet, in potiorem illius hiſtoriæ partem venire debuit, immo cum illo codice, quem Polycarpus & Raynaudus laudant, non conſentit in anno fundationis. Nam fictitius ille codex ad annum 1084. Brunonis ſeceſſum, fundatámque Cartuſiam repræſentat, Franciſcus verò de Puteo ad annum 1082. Neque, ſiquid capis, iſte auctor, cui Cartuſiæ foruli patebant omnes, ignoraſſet aut reticuiſſet id monimentum, quod ſummam hiſtoriæ ſuæ auctoritatẽ conciliauiſſet. Quorſum ab recentioribus, incertis & credulis ſcriptoribus accepiſſet eam de Doctore narrationem, quam ab æqualibus, fideliſſimis & publicis rei geſtæ teſtibus potuiſſet accipere? Quorſum non expreſſiſſet Doctoris nomen, quod expreſſum in codice fundationis iactant Polycarpus & Raynaudus? Quorſum Docto-

rem ſuum non appellaſſet Raimundum Diocrem, qui in eo codice Raimundus Diocres appellatur?

Deinde occurrit Grandimontenſe Chronicum, vbi diuerſo charactere, recentíque manu ad annum 1115. quo pagina vacabat, in loco non ſuo ſcriptum eſt quod ſequitur: *Pariſius horribile factum contigit de quodam magiſtro magni nominis, qui ter exclamando in Eccleſia dixit, accuſatus ſum, iudicatus ſum, condemnatus ſum. quapropter multi ſolemnes viri ſæculo renuntiauerunt, & diuerſas religiones inſtituentes celebre nomen acceperunt, & poſteris reliquerunt exemplum.* quæ verba ſuperiori capite diſpunximus, & ab aliquo fabulatore inſerta Faſciculo temporum prioris editionis confirmauimus. Quæ autem de Grandimontenſi Chronico obſeruamus, vidimus ipſi, & ea de cauſa malam Polycarpi fidem conquerimur, qui antiquiſſimi codicis nomine lectorem ſuum in fraudem inducit. Eſt quidem antiquiſſimus codex, & quæ in eo de Grandimontenſi Ordine & aliis quibuſdam ſcribuntur, antiquiſſima manu ſcripta ſunt, ſed quæ modò retulimus, recentiſſimâ. Heu priſca fides!

Inter editos verò, qui mala fide laudantur, ſeſe obiiciunt ſcriptor anonymus vitæ ſancti Stephani Obaſinæ Abbatis, Vincentius Bellouacenſis, Humbertus quintus Prædicatorum Generalis magiſter, Magnum Chronicum Belgicum, Matthæus Paris, Philippus Bergomas, Iacobus Vuimphelingius, An-

tonius Sabellicus, Seuerinus Binius, & Arnoldus Boſtius. qui omnes peiori fide citari non potuerunt. Nam imprimis paruam hiſtoriam affingit Matthæo Paridi, inter cuius opera non comparet. Deinde in genuinis Paridis operibus de initio Cartuſienſium aut de Brunonis conuerſione nihil habetur. 2°. In ſancti Stephani Obaſinæ Abbatis vita, quam Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino edidit, nihil de Brunonis hiſtoria traditur. 3. Quæ de Brunonis ſeceſſu & de Cartuſienſium inſtitutione Vincentius ſcripſit, capite primo exhibuimus, vbi nulla eſt Pariſienſis prodigij mentio. 4. Humbertus neque in ſermone, quem ad Cartuſienſes, neque in aliis, quos ad diuerſos hominum ſtatus habuit, ficto Pariſienſi prodigio quicquam atteſtatur. 5. Magnum Chronicum Belgicum Polycarpi fabulas ſilet. 6. Philippus Bergomas à noſtris partibus ſtat aduerſus Polycarpum & eius ſocios. 7. Iacobus Vuimphelingius de rediuiuo Doctore vel Canonico commemorat nihil. 8. Antonius Sabellicus ne quidem attingit Cartuſienſium exordia. 9. Binius tacendo mendacibus obloquitur. 10. Arnoldus Boſtius ſuo ſilentio reiicit, quod illi Polycarpus obtrudit. Heu priſca fides! tuam quæſo Polycarpe frontem.

His accedit Vuernerus Roleuuink, cui tribuit, quæ non dixit, aut ſi dixiſſe tergiuerſetur, tergiuerſantis conſilio inutilia & ἀπροσδιόνυσα dixit. Tum libri, qui ſic inſcribuntur, *Thomæ Morimundi Chronica*, ſeu *Thomas*

Morimundus in Chronicis, Fragmentum hiſtoriæ Anglicanæ incerti auctoris, & *Chronicum Albanum*, an ſint in rerum natura, necne, vel ſi ſint, quid contineant, hactenus comperire non potui. Sed cùm qui huiuſmodi libros citat, homo ſit profligatæ fidei, commentitios eſſe, aut certè ſi commentitij non ſint, quod ad rem ſpectet, nihil continere credibile eſt.

Quod autem pertinet ad auctoritatem eorum qui bona fide laudantur, id cùm res hiſtorica ſit, ex ſcriptorum ætate, atque ex ſcribendi forma petendum eſt. Hoc autem vtrumque capite 2. iam expendimus. Nunc obſeruandum reſtat, pleroſque ex iis, qui tam bona fide citantur, ab anno 1500. vixiſſe, & narrationem illam recitaſſe potiùs, quàm expendiſſe. quod apparet cùm ex Bellarmini loco, qui laudatur, tum ex aliis auctoribus, qui conciones ad populum habuerunt. Atque iis profectò iniuriam facit, qui aliter ſentit. Qui verò ab anno 1500. non ſcripſerunt, certè poſt defixam capite primo & ſecundo epocham ſcripſerunt, ſed aſſerendæ ſuis legibus veritati nihil admodum incommodant. Ij ſunt præcipuè Henricus Kalkarienſis, & Ioannes de Indagine, quorum primum ad annum 1390. & ſecundum ad annum 1460. Tritemius floruiſſe ſcribit. Sed eorum libros videre non licuit, ſiue quia forſan inediti ſunt, ſiue quia iam editi ad nos haud peruenerunt, tametſi in iis diſquirẽdis operæ nonnihil poſuerimus & diligentiæ. Henricum aliquid habere de fabula non facilè crederem, habere tamen poſſe, niſi

accuratè ſcribat, docent, quæ ad Gerſonem capite ſecundo obſeruauimus.

Secundùm hæc omnia Theophilo Raynaudo quid fiet, qui Polycarpi Cartuſienſis fidei ſeſe commiſit? qui annotatos ab illo teſtes tam cupidè numerauit? qui chartam fundationis maioris Cartuſiæ, vt Achillem oppoſuit? qui Grandimontenſe Chronicum vt arietinum oraculum oſtentauit? qui nomen ipſum miſeri Doctoris in ipſo codice Cartuſienſis inſtitutionis ſignatum tanquam Gorgoneum caput aduerſariis obiecit? qui opus exaſciatum Polycarpi manu, bella mendaciorum artifice, dolabra ſua perpoliuit? qui prælucente Cartuſienſis familiæ ſole noſtras tenebras illuſtrauit? qui tandem ſcientiſſimi architecti peritia ſuum aduerſus ingenia fortia Antemurale conſtruxit, & tam affabrè támque antiquo artificio conſtruxit, vt inuictum ab expugnatione crederent viri boni, qui probarunt? Quibus autem & qualibus ſannis Raynaudus perſtringeret eum, qui pari modo par hiſtoriæ negotium tractaſſet, illius iudicio permittimus. ſed cuiuſmodi futurum eſt Raynaudi iudicium, facilè colligent, qui in Antemurale penetrabunt, à quo ſi conuitia, lædoriæ, ſannæ & ſarcaſmi tollerentur, nihil auctori fermè præter aliquot particulas, chartam & atramentum relinqueretur. Quare in quibuſdam parcus charitatis, (quo nomine alios indigitat) in aliis parcus fidei æſtimari meritò poteſt: quemadmodum hoc poſtremo capite conſtat.

Digitized by Google

Concluſio Capitis quinti.

EX iis igitur, quæ modò expoſuimus, neceſſarium eſt animaduertere quæ ſequuntur.

Primum eſt, vix vllum eſſe ſcriptorem, qui ſiue audacia, ſiue imprudentia Polycarpum noſtrum antecedat. Audaciam notamus in falſis teſtimoniis, quæ & chartæ fundationis maioris Cartuſiæ, & Grandimontenſi Chronico, & tot editis auctoribus omni depoſito pudore affinxit: Imprudentiam verò in eo maximè deprehendimus, quòd hæ comparatæ in perniciem veritatis fraudes cùm nullo negotio diluantur, omnibus continuò ſcriptis ſuis abroget auctoritatem. Hîc taceo malæ fidei crimen, quo ſe ſanctiſſimi inſtituti profeſſorem coram Deo & hominibus obſtrinxit. Et certè ſiue iſto, ſiue alio ſcelere hoc iam conſecutus eſt, vt apud Reuerendiſſimum Ordinis ſui Generalem nullius fidei æſtimetur. quod ab ipſius ore vir clariſſimus Nubleus accepit, acceptúmque mihi ſcriptis pridie Idus Nouembres literis ſignificauit. Ceterùm quæ de domno Polycarpo in Cartuſia dicuntur, ad nos non pertinent, ſed ſi vera ſint, in eo quàm incomprehenſibilia ſint iudicia Dei, profundiſſima animi demiſſione miramur ac ſuſpicimus. Quoniam verò Polycarpus ab amico ſuo Raynaudo vocatus eſt clariſſimum Cartuſienſis Ordinis ſidus, nunc eum affatus exclamare quis poſſet his ſcripturæ verbis: *Quomodo*

Digitized by Google

cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris?

Secundum, centum abhinc annos confictum eſſe nomen Doctoris, qui poſt obitum rediuiuus damnatum ſe eſſe dixit, eúmque appellatum Raymundum Diocrem. Sic fabulæ creſcunt; nec dubito, quin aliquando Raymundi Diocris parentes & patria propriis nominibus deſignentur: & inde aliquis ſumat argumentum confirmandæ veritatis, quod Antemurali reſtaurando addetur.

Tertium, Bartoldum Nihuſium in Epiſtola, quæ operis Didaſcalici fronti præfixa eſt, Polycarpi fabulas ac dolos nouo cumulaſſe mendacio, quod ſic ſe habet: *A quorum* (Cartuſianorum) *aliquibus in teſtem etiam adducitur Theodoricus Abbas ſancti Trudonis, qui ſcribat, viſum ſibi ſuiſque oculis defunctum illum, quem diximus, caput è feretro erigentem, & nominatum fuiſſe Raymundum.* Sed ille Theodoricus in teſtem adducitur, quemadmodum charta fundationis maioris Cartuſiæ, Humbertus, Vincentius, Magnum Chronicum Belgicum, Bergomas & alij, quos Polycarpus adornauit. Porrò ſufficit his magnæ fidei viris aliquid dixiſſe, vt ſine teſte credatur. Neque enim opus eſt, vt nobis ſignificent, quo in opere, & quo in operis loco Theodoricus ſe id prodigij vidiſſe, quod eum Nihuſius cum ſuis vidiſſe vult, teſtetur. Sed audio Nihuſium hominem eſſe Raymundo Diocri ſimilem, id eſt, fictitium ſeu perſonatum, qui theatri nugas agit: quicquid ſit, non intereſt mea: verum à quocumque dicatur, vt

amplector, ſic & falſum reiicio, cùm in aliis, tum in religione quoque Chriſtiana, quæ non indiget patrocinio falſitatis, ſicut nec veritas ſubſidio dicacitatis.

Porrò Nihuſius iſte ſuam prodit oſcitantiam ſcribens, Lectiones ea de re (ſcilicet de hoc prodigio) iuſſu Vrbani VIII. deletas è Breuiario Romano, cùm Lectiones deletæ non fuerint, ſed è Lectionibus ſolummodò deletum, quicquid ad illud prodigium ſpectabat. Deinde parum veriſimile eſt aliud, quod in eadem Epiſtola tradit, ſibi nimirum quærenti è ſacra Congregatione, quæ ritibus dirigendis præeſt, cur id prodigij deletum ſit, reſponſum eſſe: *Nequaquam iſtud è Breuiario ſummotum, quod iudicaretur fabuloſum eſſe, ſed alia de cauſa*, ſiquidem alia nulla potior cauſa Eccleſiaſticis præſcribitur regulis, præterquam deprehenſa falſitas, qualis in Lectionibus vigiliarum ſancti Brunonis deprehendi potuit ab Romanis correctoribus, qui ſacris Eccleſiæ ritibus præſunt. De hac ſingulari correctione nunc loquor, in qua ſtatutas ab antiquioribus magiſtris obliterandæ falſitatis, & retinendæ veritatis leges adhiberi commodè vidimus. De hac, inquam, correctione loquor, nequid aduerſarij nobis ex retento Brunonis magiſterio Pariſienſi, vel ex quibuſdam aliis Romani Breuiarij Lectionibus opponant. Etenim Breuiarium iſtud pluries correctum eſſe, ideóque non ſemel corrigi poſſe docet multiplex correctio, quæ à Paulo IV. ad Vrbanum VIII. comparata eſt. Atque ita

Digitized by Google

maiores poſteris, quod corrigerent, ſemper aliquid reliquerũt. Hoc de induſtria notamus propter aduerſarios, qui, vt ita dicam, rimãtur occultum in quodam angulo foramen, quò ſe ſubducant, non idoneam excipiendæ luci feneſtram ſtudiosè quærunt. Sed, vt aliena non attingam, Pariſienſe Brunonis magiſterium adhuc corrigi poſſe ſuadent, quæ ea de re cap. 1. diſſeruimus. Non quòd Bruno magiſter in Theologia non fuerit, ſed quòd ad annum 1086. quo ſeceſſit, nondum profectò Lutetiæ, vt iam obſeruauimus, vel ſi, quia iubes, Lutetiæ, alibi tamen, quàm Lutetiæ, Remis putà, Lauduni, in monaſterio Beccenſi apud Normannos Theologia doceretur. Qui verò Theologiam docebant, & qui profitebantur in Eccleſiis & monaſteriis, audiebant magiſtri. Et ſic tunc nulli, vel certè non omnes in Theologia magiſtri, vocabãtur Pariſienſes magiſtri.

Quartum, Grandimontenſe Chronicum Polycarpi, & Raynaudi cauſam nihil iuuare. quamuis id, quod ex illo retulimus, veteri & manu & charactere exaratum concederetur. Annotatum anno 1115. prodigium Cartuſianorum quid attinet Ordinem, qui pluribus antè annis inſtitutus erat? Deinde ibi nulla cùm fiat Cartuſianorum mentio, prodigium ad Grandimontenſes æquè vel Ciſtercienſes, atque ad Cartuſianos referri poteſt. Tum demùm Polycarpus & eius ſectator dicant nobis, quæ Religiones ad annum 1115. exortæ ſint, vt ſuo teſtimonio ſaltem in alia re ſua conſtet veritas.

Quin-

Quintum, Theophilum Raynaudum non tam de aduerſariis ſuis, quos tamen & immerentes acerbiſſimè appellat, quàm de ſe malè meritum eſſe in Antemurali, quod aduerſus ingenia fortia præſtruxit. Vel enim quæ de hac re tota ſcripſit, ſeriò, vel ioco ſcripſit; ſi ioco ſcripſit, nobis quidem non officit, modò iocus deprehendatur, ſed rem grauiſſimam parùm liberaliter tractauit; ſi ſeriò ſcripſit, aliena fide ſuam in ſcribendo fidem funditus amiſit. Et ſiquis huic rei cumulus poteſt accedere, his continetur verbis: *Alij intra idem ſæculum ſcriptores atteſtantur narrationi, pro qua ſatagimus, annotati à laudato Cartuſianorum hiſtorico?* quinam verò ſunt illi ſcriptores, niſi quos vel ſuppoſuit, vel quibus falſum turpiter affinxit: deinde poſt alia: *Quod autem ſinceræ veritatis liquidius ſignum, quàm auctores tunc viuentes talia de certo homine per omnia adiuncta, ipſúmque nomen ſuum (* Raymundum Diocrem *) deſignato, ſcriptis commiſiſſe?* ſic alludit ad citatum antea Cartuſienſis inſtitutionis codicem, cui quod voluit domnus Polycarpus impoſuit.

Ceterùm ad rem ipſam quod attinet, duo ſunt, quibus adduci facilè poſſum vt credam, eruditum ſine dubio virum ioco ſcripſiſſe librum, ſeu præfationem, cui Antemuralis nomen dedit. Vnum eſt illa diſſertatio, quæ inſcribitur *Error popularis de communione pro mortuis* deinde *Guſtus operis, cui titulus eſt Heteroclita Spiritualia, & anomala pietatis.* tum *Hipparchus de religioſo Mercatore.* Qui-

bus operibus non operoſum eſt diſpicere, an vulgi & aliquot ſodalium opinionibus adſtipuletur. Alterum, ſtudium retinendæ pacis cum pleriſque ſodalium, quos populares fabulæ delectant. Id quod viri graues & boni, qui eiuſmodi hominum arcana norunt, certiſſimè confirmant. Seruandæ vel redintegrandæ cum ſodalibus pacis conſilium vehementer probo, ſed non probo illud, quod in excidium veritatis ſelegit. qui voluerit, probabit.

Sextum, Polycarpum & Raynaudum in optimam aſſerendæ veritatis, quæ in facto conſiſtit, methodum grauiſſimè peccaſſe, vt id, quod falſum eſt, verum eſſe probarent. Itaque viri religioſi (ſi tamen alter adhuc religioſus eſt) affirmant habere ſe origines firmas ab iis, quorum res fuit, in iiſque diſertè exprimi totam narrationem miſeri Doctoris, qui poſt obitum rediuiuus exclamando dixit ſe damnatum eſſe, qui huius prodigij terrore circumſtantes perculit, qui in Brunonem & in plures eius diſcipulos ſecedendi conſilium immiſit. Producunt Grandimontenſe Chronicum non multò poſt mortem Brunonis exaratum: producunt aliud Chronicum Thomæ Morimundi, cuius obitus conſignatur anno 1150. Producunt Matthæum Paridem, Vincentium Belloüacenſem, Humbertum quintum Prædicatorum Generalem, & alios intra idem vel proximum Brunonis ſæculum ſcriptores, qui memoratæ narrationi atteſtantur: *Cum quibus*, ait Raynaudus, *nos tanto pòſt nati ac ſimplices deludi ſecurum exiſtimamus, potiùs quàm cum*

fortibus ingeniis aduerſus narrationem tot ſubnixam teſtimoniis conclamemus. Sagaces quippe viri iudicarunt eam de Doctoris anaſtaſi narrationem ſapienter credi non poſſe, quam perpetuum ac generale ſilentium obruiſſet duorum à Brunone ſæculorum. At enimuerò obruiſſe, illóſque auctores in illius narrationis teſtes falsò productos oſtendimus, atque ita oſtendimus, vt hoc artificij genus impoſturæ vltima linea iure putari poſſit.

Nunc verò ſecundùm iſta, quinam amabo vos ingeniorum fortium appellationem merentur? illíne, qui ad quærendam commentitiæ narrationi fidem teſtes ſubornant, an illi, qui fraudes in perniciem intextas veritatis diſcindunt, & recepta apud cordatos, ſed ab aduerſariis non ſincerè vſurpata diſſerendi methodo rem hiſtoricam confirmant? Quam igitur in vindicanda narratione ſua methodum ſecuti ſunt Polycarpus & Raynaudus, eandem amplectimur, vt vnicæ, quam colimus aſſerendæ veritati, & refigendo mendacio peridoneam, ſed narrationem illi methodo ſubſtratam, quia malè ſubſtrata eſt, reiicimus, & in fabularum numero collocamus. Non *tantùm quia placet*, vt ait Raynaudus, ſed quia diſputandi leges, quas ſequitur, iubent, quia Bruno de ſua vocatione ad Radulphum ſcribens perſuadet, quia Guibertus Abbas Nouigentinus veram ſeceſſus ſancti Brunonis cauſam exponit, & aduerſus ingenia fortia, quibus mendacium arridet, præſcribit, quia veterrimus Cartuſienſium ſta-

tutorum codex, & Petrus Venerabilis in deſcriptione Ordinis non admittunt; quia quod non admittunt, nulli ſupplent auctores Brunonis æquales, vel ſuppares, quia tot illuſtrium ſcriptorum, qui de Brunone, déque Cartuſienſi Ordine poſt annos ab eius initio ducentos ſcripſerunt, generale ſilentium vindicatæ narrationis vanitatem eloquentiſſimè coarguit, & hominum id genus commenta depereuntium fauces elidit, quia denique memoratæ narrationis antiquitas ſolis fraudibus & impoſturis vindicatur.

In primo huius operis capite veram ſeceſſus Brunonis in eremum cauſam expoſui, eã multiplici traditione confirmaui, oppoſita quædam traditioni repagula diffregi, & contra fabuloſum de Doctore rediuiuo prodigiũ, quod conuerſionis Brunonis cauſa fuerit, præſcripſi. In ſecundo capite quæ figmenta ſeceſſui Brunonis poſt annos ab inſtituto illius Ordine ducentos & ampliùs ſuccreuerunt, declaraui, ex incerto vulgi rumore prognata eſſe omnia docui, ſingulis ſingulas epochas defixi, & ſola fermè eorumdem expoſitione confutaui. In tertio capite nonnullas Didaſcalici Scriptoris difflaui rationes, quibus quæ ſecundo capite figmenta retuli, defendi, & ſcrupuloſæ plebi commendari videntur in clientelam & fidem. Quæ vis aliquando inſit picturatis argumentis, quæ aliquando non inſit, ſignificaui. Non amentatum quidem, ſed hebes prorſus eſſe telum oſtendi, quod ex pharetra Cæſarij Ciſtercienſis deprompſit: ſed in venando hoc

argumenti genere quod Achilleum credidit, valdè aduerſam expertũ eſſe Deliam pluribus oſtendi. In quarto cap. eos propoſui auctores, qui, ſi controuerſia dirimenda eſſet cũ iis, quos cap. 2. exhibui, hanc omninò dirimerent, ſuíſque aduerſariis euaderent facilè ſuperiores. Qua de re nemo dubitet, qui nouerit ex illis nonnullos res hiſtoricas accuratiùs tractaſſe. In quinto & poſtremo capite malæ in ſcribendo fidei reos peregi Polycarpum & Raynaudum. quod etſi maximè volui, diſſimulare tamen non potui: quia quam aggreſſus ſum defenſionem, nulla ratione permiſit.

Hæc habui, quæ pro defenſa Romani Breuiarij correctione circa hiſtoriam ſancti Brunonis dicerem, in qua nulla facta eſt iniuria Cartuſienſium Ordini, qui certè non poteſt non ſatis honorari. Et primò quidem ibi aliud actum eſt nihil, quàm quod agi Concilia perpetuò iuſſerunt. Teſtatur hoc Africanum Concilium, in quo ſtatuitur, vt in Eccleſia non cantentur, niſi quæ à prudentioribus tractata & comprobata in Synodo fuerint. Teſtatur Romanum Concilium ſub Gregorio primo, qui quædam in Eccleſiæ miniſteriis reprehendenda correxit. Teſtatur Trullana Synodus, quæ confictas ab hoſtibus veritatis Martyrum hiſtorias damnauit. Teſtatur Concilium Francofordienſe, quod falſas Martyrum hiſtorias, & inexploratas in Officiis ſacris additiones reiecit. Teſtatur Concilium Senonenſe, quod vt Breuiaria & Miſſalia emendarentur, ſanxit. Teſtatur Concilium Co-

Digitized by Google

Ioniense, quod idem decreuit, Teſtatur Concilium Tridentinum, quod idem concluſit. Teſtatur poſtremò Concilium Rotomagenſe anni 1581. & Concilium Remenſe anni 1583. quod vtrumque ab Romano Pontifice probatum ſtatuit, nequid *veris Sanctorum hiſtoriis contrarium* Breuiaria continerent. Deinde cùm à vera cauſa ſeceſſus Brunonis in eremum falſitas remouetur, ſummum Cartuſienſium hiſtoriæ ornamentum aſſeritur. ſummum dico, quia nullum veritate maius fingi poteſt, vel auguſtius. Quod cùm in aliis, tum in vera quoque religione toto vno libro beatus Auguſtinus demonſtrauit: Sed inſtar omnium, quæ ibi ſapientiſſimè diſputat, hæc eſſe poſſunt ex cap. 55. *Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris. Melius eſt enim, qualecumque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt: Melior eſt vera ſtipula, quàm lex inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.*

FINIS.

Pagina 94. *lin.* 23. *lege domum luctus. pag.* 97. *lin.* 18. *pro* 1594. *lege* 1494. *pag.* 113. *lin.* 3. *pro* quòd *lege* quod. *pag.* 131. *lin.* 8. *pro* narrantur; *lege* narratur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis intra decem annos proximos, librum qui ſic inſcribitur,* Defenſa Romani Breuiarij Correctio circa hiſtoriam Sancti Brunonis, *&c.* Auctore IOANNE DELAVNOY Conſtantienſi Theologo Pariſienſi *: abſque Sebaſtiani Cramoiſy Architypographi Regis & Reginæ regentis permiſſu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium: qui ſecùs fecerit mulcta indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum Pariſiis die 8. Februarij 1646. Sic ſignatum, De mandato Regis,*

CRAMOISY.

Digitized by Google

Lonienſe, quod idem decreuit. Teſtatur Concilium Tridentinum, quod idem concluſit. Teſtatur poſtremò Concilium Rotomagenſe anni 1581. & Concilium Reinenſe anni 1583. quod vtrumque ab Romano Pontifice probatum ſtatuit, nequid *veris Sanctorum hiſtoriis contrarium* Breuiaria continerent. Deinde cùm à vera cauſa ſeceſſus Brunonis in eremum falſitas remouetur, ſummum Cartuſienſium hiſtoriæ ornamentum aſſeritur. ſummum dico, quia nullum veritate maius fingi poteſt, vel auguſtius. Quod cùm in aliis, tum in vera quoque religione toto vno libro beatus Auguſtinus demonſtrauit: Sed inſtar omnium, quæ ibi ſapientiſſimè diſputat, hæc eſſe poſſunt ex cap. 55. *Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris. Melius eſt enim, qualecumque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt: Melior eſt vera ſtipula, quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.*

FINIS.

Pagina 94. *lin.* 23. *lege domum luctus. pag.* 97. *lin.* 18. *pro* 1594. *lege* 1494. *pag.* 113. *lin.* 3. *pro* quòd *lege* quod. *pag.* 131. *lin.* 8. *pro* narrantur, *lege* narratur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ſua ditioni ſubiectis intra decem annos proximos, librum qui ſic inſcribitur,* Defenſa Romani Breuiarij Correctio circa hiſtoriam Sancti Brunonis, *&c.* Auctore IOANNE DELAVNOY Conſtantienſi Theologo Pariſienſi *: abſque Sebaſtiani Cramoiſy Architypographi Regis & Reginæ regentis permiſſu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium: qui ſecùs fecerit multa indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum Pariſiis die 8. Februarij 1646. Sic ſignatum, De mandato Regis,*

CRAMOISY.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google